SUETONIANA.

PA
6702
K6

I. R. KOOPMANS VAN BOEKEREN

SPICILEGIUM CRITICUM

IN

G. SUETONII TRANQUILLI VITIS D. IULII ET D. AUGUSTI.

SPICILEGIUM CRITICUM IN G. SUETONII TRANQUILLI VITIS D. IULII ET D. AUGUSTI.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD ANNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI A. C. VREEDE, LITT. IND. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. THEOR. PROF., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET **IANUS RUDOLPHUS KOOPMANS VAN BOEKEREN**, EX OPPIDO HARLINGEN, DIE XXIX MENSIS MAII, A. MDCCCXCVII; HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM, APUD S. C. VAN DOESBURGH. - MDCCCXCVII.

PA
6702
K6

809510

DILECTISSIMAE MATRI

ET

CARISSIMI PATRIS PIIS MANIBUS.

PRAEFATIO.

Quicumque nostra aetate operam dat Suetonio, ante omnia rationem habere solet editionis Teubnerianae, quam curavit C. L. Rothius. Editio illa, inde ab anno 1857, usque ad 1890 saepe sine ulla mutatione repetita, magnopere laudata est a viris doctis, quorum in manu fere sola erat, spretis vetustioribus editionibus, perinde ac si praeberet Suetonii textum omnibus rei criticae subsidiis instructum. Id tamen minime verum est. Quid enim dare studuit Rothius? Sic consilium suum in praefatione exposuit: „Verum hoc nondum satis perfectum esse videtur, ut ex infinito librorum numero optimi et antiquissimi eligantur ac tamquam duces fidi, quos nusquam nisi in apertos errores inciderint ipsi, deserere liceat, observentur." Optimum quidem consilium, quod tamen Rothium non semper tenuisse, maxime dolendum est. Addit paulo inferius: „Hoc praestare conati

sumus, ut antiquissimos eosdemque optimos libros nostra editio ubique et in omnibus rebus aequabiliter referret." Videmus ergo Rothium sibi non hoc proposuisse ut constitueret textum, qui meliorum codicum auctoritate nisus, ubique lectiones lucidas, probabilesque praeberet, sed tantummodo ut exemplar ad litteram expressum unius vel plurium optimorum codicum proferret.

Dux ille fidus, quem sibi hac in re elegit auctor, praecipue fuit optimus omnium, codex Memmianus. Sic fuit et sic adhuc est mos apud Germanos, qui iurare solent in librorum auctoritatem et vulgo opinantur: „nullam esse vulgatae lectionis, ne in minimis quidem rebus, habendam rationem, nisi optimorum librorum accedat auctoritas."

Quid autem nos quaerimus in editionibus, quibus uti cogimur? Nimirum hoc solum: textum, mendis liberum, quem ubique intelligere atque explicare possimus, qualem textum praebere non potest, neque unquam poterit unus codex, ne optimus quidem. Quam ob causam non tanta laude dignam puto editionem, quam curavit Rothius, praesertim quod multis locis scripturas praebet, quas neque ipse editor, neque ullus lector unquam intelligere potuit. Etenim Memmiani lectiones incolumes inviolataeque conservandae erant et sic fieri potuit ut interdum editio Teubneriana praebeat textum, quem defendere nullo modo possimus.

Utinam saltem Rothius editionem dedisset cum annotationibus et criticis et exegeticis, tunc demum cognossemus quo modo varios illos locos interpretandos esse ipse putaret editor. Nunc vero, cum legimus lectionem, quae aut difficilis intellectu, aut Latina non sit, ad coniecturas decurrendum

est, vel ad recipiendas lectiones librorum deterioris notae, quarum nullam habuit rationem editor. Saepe enim fieri potest ut unus tantummodo codex nobis servaverit bonam aliquam lectionem, quam per Rothium aliosque, quia e deteriore loco, recipere non licet.

Ut unum tantum e pluribus afferam exemplum: legimus in D. Iulii vita, capite 81: *Paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni ad extruendas villas vetustissima sepulchra dissicerent e. q. s.* Quid hic sibi vult verbum *dissicerent?* Nemini, opinor, notum est verbum *dissicere*, compositum ex *dis* et *sicere* vel *secere.* Sed iam in vetustioribus et recentioribus editionibus receptam videmus lectionem, quam servaverunt alii codices: *disiicerent.* Lapsum tantummodo calami formam *dissicerent* putaverunt editores, nam omnes fere non admonito lectore restituerunt *disiicerent.* Litteram *s*, bis scriptam fuisse antiquissimo quodam more remotissimis temporibus, nihil est quod credamus, multo vero minus librarium vel ipsum Suetonium casca atque obsoleta illa forma usum fuisse, id, quod praeterea a Suetonii consuetudine plane abhorret. Attamen formam *dissicerent* adhuc servavit et semper servabit editio Rothiana, quia sic legitur in codice Memmiano.

Statuere igitur possumus: primum, textum Rothianum non esse Suetonii textum genuinum, sed nihil aliud quam bonum in studiis Suetonianis subsidium, quod negligere nec volumus, nec possumus; deinde numquam ideo lectionem parum probabilem defendendam esse, quod eam praebeat Memmianus Codex; denique numquam bonam lectionem accipiendam esse, quia Memmiani codicis, sed quia bona est.

Sedulo autem praeter optimos, deterioris quoque notae libri consulendi sunt atque praeter editionem Teubnerianam vetustiores quoque editiones, in quibus inprimis Burmanni, Oudendorpii, Ernestii, Crusii, qui omnes, et quod ad textum et quod ad explicationem attinet, optime meruerunt de auctore nostro.

Quid autem hoc specimine scribendo mihi proposuerim, paucis verbis sic exponam: Tractaturus sum tantummodo duas vitas priores, quas accurate legens saepenumero incidi in locos, ubi textus, quem Rothius edidit, non satis lucidus sanusque mihi visus est, ubi aut emblema me offendit, aut locutio parum apte adhibita. Conatus ergo sum, quamquam „paucorum gratiam consecuturus" (Rothii verba haec sunt, Praef. pag. V), sanare locos, qui mendis adhuc laborant, sive vindicans lectionem alicuius codicis, emendationesve virorum doctorum, sive e coniectura mea medelam proponens. Qua in agendi ratione semper persuasum habui Suetonium, quamvis non aureae Latinitatis scriptorem, tamen illo modo scribere debuisse, ut omnes, quibus historia Caesarum cordi erat, intelligere eum possent. Quae nullo modo defendi explicarique possunt vel delevi vel ita mutavi ut sanus bonusque sensus evaderet. Semper cogitavi Suetonium scripsisse breviter et concinne, sed brevitate ieiuna quadam et fere puerili, non illa, quam admiramur in Tacito, quaeque epigrammatum stylo simillima est, neque adhibuisse eum orationis ornamenta, quae laudamus apud Ciceronem, sed sic semper egisse ut quam paucissimis verbis, quam plurima exprimeret. Rectissime Suetonii scribendi rationem describit Vir doctissimus Shuckburgh, in Vitae Augusti edi-

tionis praefatione, his verbis: „It is business-like statement that he is seeking, not ornament or brilliancy."

Talem ergo stylum restituere ubique studui, quodsi voluntatem vires defecerint, contulisse tamen aliquid ad Suetonii textum sanandum aequis fortasse videbor lectoribus.

DIVUS IULIUS.

Cap. 1. *Annum agens sextum decimum, patrem amisit; sequentibus consulibus flamen Dialis destinatus, dimissa Cossutia.... Corneliam.... duxit uxorem.*

Plerique iam interpretes huic sententiae navarunt operam. Vocabula *flamen Dialis destinatus* suum non habere locum variis argumentis demonstraverunt praeter alios et Ernestius et Oudendorpius. Coniungi ea cum *consulibus sequentibus* non posse ob difficultates chronologicas recte monuerunt, nec mihi rem bene explicavisse videtur Baumgarten-Crusius, qui sic interpunxit: „*sequentibus consulibus, flamen Dialis destinatus*," ut sensus existat: Caesar, qui iam prius, paene puer, flamen Dialis destinatus erat, nunc, sequenti patris mortem anno, dimissa Cossutia e. q. s. Talis narrandi ratio certe non erat Suetonii, qui, quamquam brevitatis amantissimus, tamen numquam, brevitatis causa, una sententia res tam diversas complecti solet, ut tota sententia aut obscurior fiat, aut mendacium contineat. Falsum enim est Caesarem flaminem destinatum esse anno post patris

mortem, neque, si verum esset, ullo modo id cohaereret cum iis, quae in sequentibus narrat auctor. Quid destinatio illa cum Cossutia dimissa, quid cum Cornelia? Procul dubio ergo vocabula citata delenda sunt. Non sunt inepti grammatici annotatio, sed e verbis praecedentibus, quae aetatem non tulerunt, falso nostrum in locum migraverunt. Optime hoc intelligimus, cum sciamus Suetonium semper in vitis narrandis, varias partes diversis locis tractare, ita ut primo loco dissereret de imperatoris familia, deinde de muneribus, tertio de ingenio etc. Loco nostro Caesaris familiam tractat atque igitur vix credi potest eum simul hac in parte de eius honoribus disputasse.

Vocabula ergo: *flamen Dialis destinatus* alium in Suetonii opere tenuerunt locum, quem accuratius designare non amplius possumus, sed sine dubio in textu tradito delenda sunt.

> *Cap.* 9. *in fine: . . . . pactumque, ut simul foris ille, ipse Romae ad res novas consurgerent, per Ambranos et Transpadanos; destitutum utriusque consilium morte Pisonis.*

De gentibus, quas nominat auctor, nihil constat, neque inter se consentiunt de iis libri Mss., quorum nonnulli habent *Ambrones*, alii *Umbranos*, *Lubranos*, *Lambranos;* de nomine vero *Transpadanos* consentiunt omnes codices. Dubitari ergo potest, utrum recte sese habeant haec vocabula: *per Ambranos et Transpadanos*, an non. Monuit iam Vir Clar. Tj. Halbertsma, in libro, quem post eius mortem edidit Vir Clar. H. van Herwerden (Adversaria Critica; Leidae,

E. J. Brill, 1896.), de loco nostro: „Exciderunt quaedam post *consurgerent*", i. e.: inter *consurgerent* et.... *per Ambranos et Transpadanos.* Quod vix credo. Sine dubio textus, sicut nunc eum legimus, mendose traditus est, nam suum locum in sententia non obtinent vocabula *per Ambranos et Transpadanos.*

Coniungenda essent cum *foris*, non cum *Romae*, nam Caesar, Romae manens, nullo modo cum exteris nationibus ad res novas consurgere potuit.

Fortasse Gn. Piso, iter faciens in Hispaniam citeriorem (cf. Sallust. De coni. Cat. c. 19), nonnullas gentes ad res novas excitare potuit.

Sed addit Suetonius: *destitutum utriusque consilium morte Pisonis.* Novimus autem ex Sallustio Pisonem interfectum esse „in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat", i. e. postquam in Hispaniam advenit. Iter ergo Pisonis iam perfectum erat, et si revera *Transpadanos* ad res novas excitare conatus est, hoc conamen ad finem iam in itinere perduxerat. In provincia Hispania id facere certe non potuit, nam nullo modo gens Hispaniae dici potest: *Transpadana.* Sed e Suetonii verbis apparet Pisonem nondum illud fecisse conamen, nam alioqui dici non poterat: *consilium utriusque destitutum esse eius morte.* In itinere ergo gentes excitare non voluit Piso, sed fortasse in ipsa Hispania. Qua de causa potius credo vocabula citata olere emblema, suprascriptum verbo *foris.* Glossator quidam, ni fallor, planius describere voluit quid sibi vellet vocabulum *foris*, atque igitur citavit nomina nonnullarum gentium, per quarum regiones iter Pisoni faciendum erat. Unde tamen haec

nomina hauserit, nemo est, qui explicare possit. Non ergo cum Viro Clar. Halbertsma aliquid inserendum puto, sed contra delendum. Si autem vocabula *per Ambranos et Transpadanos*, tamquam inutile et supervacuum emblema e textu amovemus, bonum praebet sensum sententia nostra, neque quidquam restat obscuri.

> *Cap.* 17. *Recidit rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinae nominatus, et apud Novium Nigrum Quaestorem a Lucio Vettio indice et in senatu a Quinto Curio, cui, quod primus consilia coniuratorum detexerat, constituta erant publice praemia.*

Locus sane difficilis, quocum arcte cohaeret alter locus in eiusdem vitae capite 20, ubi vulgata lectio habet: *Postremo in universos diversae factionis .... inductum praemiis, ut se de inferenda Pompeio nece sollicitatum a quibusdam profiteretur e. q. s.* Permultum iam disputaverunt de his duobus locis interpretes et veteres et recentiores. Locum posteriorem mendose traditum esse putaverunt omnes, nam inter *factionis* et *inductum* aliquid desiderari, nemo est, qui non videat. Restituerunt ergo e Ciceronis testimoniis (cf. Epist. ad Atticum, II, 24; Pro Sexto, c. 53; In Vatinium, c. 10) nomen *Vettium* et sic sententiam legunt: *Postremo in universos factionis induxit Vettium praemiis, ut .... profiteretur* e. q. s. Nunc autem quaerere coeperunt utrum ille *Vettius* habendus sit diversus ab eo, qui cap. 17 commemoratur, necne? Putant Burmannus, Ernestius, Bremius alii *L. Vet-*

tium, qui cap. 17 commemoratur, eundem esse atque eum, de quo loquitur auctor capite 20. Contra Graevius, Casaubonus, Oudendorpius, Ruhnkenius, Wolfius crediderunt diversos viros esse. Quae tamen notata praetermittere possumus, quia nihil satis constat de *Vettiis* illis, neque unquam sine subsidiis, adhuc irrepertis, vera Suetonii verba loco posteriori restitui poterunt.

Videamus autem de loco cap. 17. Post Burmannum, Ernestium al., Rothius adhuc servavit textum traditum *indice*, cum plerique editores legant *Iudice*. Hoc cognomen *Vettio* asseruerunt e membranis, nummis et lapidibus. Vix enim credibile est *Vettium* nostrum propter indicium per contumeliam Indicem appellatum esse, cum index quoque esset Q. Curius, cui tamen nomen illud non datum est. Sed etiam in sequentibus aliquid exstat obscuri. *Quinto Curio, quod primus consilia coniuratorum detexerat, constituta sunt publice praemia.* Cur, quaeso, haec praemia tantummodo Q. Curio et non L. Vettio constituta sunt, cum simul Vettius Caesarem accusaverit, eamque ob causam Q. Curius *primus* nominari non possit? Quoniam, nisi omnia me fallunt, Q. Curius plus fecit quam Vettius. Credo ergo solum Q. Curium accusatorem fuisse et apud quaestorem et in senatu, sed *L. Vettio indice*, i. e.: usus est Curius indiciis, testimoniisque, quae ei attulerat Vettius. Postquam autem delatori praemia decreta sunt, Vettius quoque, pretii cupidus, testimonia pollicitus est in quibus Caesaris epistulam.

Levissima ergo mutatione, sublata praepositione *a*, legendum puto:... *inter socios Catilinae nominatus, et apud Novium Nigrum quaestorem, L. Vettio indice, et in senatu a Q. Curio.* Varia haec loquendi ratio saepe invenitur apud

scriptores aetatis Suetonii. Sic denique explicanda est sententia nostra: Q. Curius primus accusavit Caesarem et apud quaestorem et in senatu, qua in re usus est testimoniis Vettii apud magistratum et tabula in qua coniuratorum nomina perscripta erant, quam ei Vettius dederat.

Cap. 19. *Eandem ob causam opera ab optimatibus data est, ut provinciae futuris consulibus minimi negotii, id est silvae callesque, decernerentur.*

Annotavit ad hunc locum Vir Clar. Halbertsma: „Haec ferri possent, si scriptum foret *provinciae futuris consulibus silvae callesque, id est minimi negotii, decernerentur*, nam explicatio rarioris dicti sequi, non praecedere solet. Ut nunc scripta sunt, verba *id est minimi negotii* olent glossema, quod e margine migraverit in textum." — Quam annotationem viri clar. me non plane intelligere lubenter confiteor. Nam „ut nunc scripta sunt verba *id est minimi negotii*," ait, sed ita nunc non scripta sunt. Legimus: *provinciae minimi negotii, id est silvae callesque.*

Potius ergo credo verba *id est silvae callesque* continere emblema, a glossatore suprascriptum vocabulis *minimi negotii.* Quamquam perpauca constant de hac provincia *silvarum calliumque*, tamen verisimile est talem exstitisse. Apud Tacitum enim (Ann. L. IV. c. 27) sic legimus: „et erat isdem regionibus Cutius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more calles evenerant," unde patet *provinciam* fuisse curam publicorum saltuum calliumque. Haec autem provincia proprie demandari solebat quaestoribus. Anne ex

loco nostro efficere licet, interdum et consulibus demandari potuisse? Affirmare id certe non audeo, praesertim quod me offendit unam tantum provinciam nominari ab auctore, cum duo essent consules. Qua de causa persuasum habeo verba *id est silvae callesque* non esse Suetonii, sed glossatoris. Satis patet quid voluerint optimates, quidque de iis narrare voluerit auctor. Huiusmodi nimirum decreverunt provincias, ubi nullis copiis opus erat, ubi ergo minime metuendus foret Caesar. Sine dubio, et haec enarravit Suetonius non nominans varias provincias, nam parum probabile est ambos consules unam provinciam inter se divisisse. Si autem vera esset lectio, utri tribuenda est provincia? Bibulo an Caesari? Nemo est qui respondere possit.

Igitur credo, quia provincia silvarum calliumque, inter alias, minimi erat negotii, haec verba, tamquam explicationem, adscripta esse et e margine in textum irrepsisse.

> *Cap.* 20. *Unus ex eo tempore omnia in Republica et ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, quum quid per iocum testandi gratia signarent, non* Caesare *et* Bibulo, *sed* Iulio *et* Caesare *consulibus actum scriberent, bis eundem praeponentes, nomine atque cognomine.*

Ultima huius sententiae vocabula: *bis eundem praeponentes, nomine atque cognomine* ineptissimum esse emblema iam recte monuit Vir clar. H. J. Polak, in libello, cui titulus „Parerga", quem libellum, nondum satis notum, eruditissimum, lectuque iucundissimum omnibus commendare

velim, qui Suetonio operam navant. (Programma Gymnasii Erasmiani. Roterod. 1882). Sed de praecedentibus etiam disseruerunt viri docti. Vocabula *per iocum* suum non habere locum contenderunt Lipsius, Torrentius, Ernestius, Wolfius. Contra Gronovius, Oudendorpius, Crusius retinuerunt lectionem vulgatam et sic explicaverunt locum: Totum hoc subscriptionis genus iocandi causa factum est. In rebus seriis subscriptio talis indecora fuisset. Recte, sed male intellexerunt, nisi fallor, auctorem nostrum hi interpretes. Unum tantummodo narrat Suetonius, i. e. iocum. Quod oblivisci non debemus.

Disertis verbis nominat illos, qui ita, testandi gratia, signabant *urbanos*, i. e. *scurras*. Cf. de hac significatione adiectivi *urbanos*: Plinius, Ep. IV, 25, ubi: „Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurruliter ludit? Qui denique omnino in senatu dicax et urbanus et bellus est?" Quae verba „*dicax et urbanus* hausit Plinius e Catulli notissimis versibus (Carm. XXII, in initio):

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homost venustus et dicax et urbanus.

Urbani ergo sunt *iocosi*. Sed ubi nunc restat iocus si tota testandi ratio non erat seria? Haud dubie testamentum aliudve documentum fictum, non serium, ita signare ausus esset quisque civis Romanus; ad hoc faciendum minime opus erat *scurra*. Quodsi iocus non audax fuisset, certe non scripsisset Suetonius *nonnulli* et sine dubio iocus ille non aetatem tulerat. Qua de causa adhuc credo id voluisse auctorem: Interdum factum est ut civis quis iocosus et

audacior, in re seria, scriptum vel documentum aliquod publicum et sollemne, iocandi causa, sic signaverit, eiusque iocus per totam urbem cognitus factus sit et tali modo memoriae traditus. Accipiamus ergo Lipsii, Torrentii aliorumque emendationem et legamus: *cum quid testandi gratia signarent, per iocum non Caesare et Bibulo, sed Iulio et Caesare actum sciberent.*

In eodem capite, nonnullis versibus inferius, legimus:

> *Cetera item, quae cuique libuissent, dilargitus est, contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito.*

Primo loco notandum est verbum *libuissent* prave esse traditum. Latine sic dici non potest. „Hae res mihi libent"; „Omnia quae mihi libent" ac tales locutiones neque aurea Latinitate, neque argentea inveniuntur. Mutandum ergo est verbum in numerum singularem ac legendum: *libuisset.* Aliam quoque ob causam ita legendum censeo. Vix enim credi possunt ea, quae nobis narrat Suetonius. Caesar dilargiri solebat cuique, ea, quae sibi elegerat, quas optaverat? Sed si revera ita faciebat Caesar, nulla exstabat causa, cur aliquis postea contradiceret. Omnes enim cives contenti esse debebant. Caesar omnia, i. e.: munera, honores, praemia etc. dividebat ad arbitrium, cum nemo contradicere auderet, et si forte auderet quis, ab imperatore coactus est tacere. Non dilargitus est quae libuisset alii, sed sibi, Caesari. Id quidem est monarchi, id imperatoris. Cum autem legimus: *quae cuique libuisset*, non amplius *cuique* pendet a verbo *libuisset*,

sed a verbo, non scripto, *dare*, et sic intelligenda est sententia nostra: Caesar dilargitus est cetera ad arbitrium ac dedit cuique ea, quae sibi (Caesari) dare libuisset.

> *Cap.* 29. *Commotus his Caesar, ac iudicans, quod saepe ex eo auditum ferunt: „difficilius se principem civitatis a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi", summa ope restitit.*

In verbis, ex ore Caesaris citatis, prorsus abundant vocabula: *principem civitatis.* In codice Vindob. pr. non legitur pronomen *se.* Male, nam sententia nostra non habet significationem generalem. *Princeps civitatis* erat titulus Caesaris et absurdum est credere Caesarem, de semet ipso locutum, hunc titulum, plane supervacuum, semper repetivisse. *Princeps civitatis* nusquam alibi esse potest, quam in primo ordine, atque igitur credo vocabula *principem civitatis* a glossatoris manu suprascripta esse verbis *primo ordine*, ut explicaretur Caesarem revera primum in Republica tenere locum. Delenda ergo sunt.

Paullo infra haec legimus:

> *Insequenti quoque anno, G. Marcello, qui fratri patrueli suo, Marco, in consulatu successerat, eadem tentante .... defensores paravit.*

Easdem fere ob causas hac in sententia puto delendum esse nomen proprium *Marco.* Capite enim praecedente bis

auctor mentionem fecit Marci Claudii Marcelli, eo modo, ut tantummodo priore loco totum exhibeat consulis nomen, altero vero breviter eum appellet Marcellum. Statim post, in sequentis capitis initio, repetit nomen Marcelli, cum praenomine *Gaius*, qui fratri patrueli suo in consulatu successerat. Nemo ergo non intelliget fratrem patruelem eundem esse ac *Marcum*, qui nonnullis versibus ante nominatus est.

Nullo igitur usu est haec praenominis repetitio, quae eam ob causam valde suspecta midi videtur. Glossema id esse persuasum habeo, quod e margine in textum migravit.

Cap. 30. *Et praetextum quidem illi civilium armorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur.*

Post Burmannum multum de hoc loco disputaverunt interpretes. Burmannus enim coniecit ante *alias* excidisse *alii*. Quam emendationem non necessariam putaverunt Ernestius, Oudendorpius, Crusius, Wolfius. Annotat Oudendorpius: „Accederem, si Suetonius scripsisset *causam aliam*. Sed cum in plurali *alias* dixerit, non modo non necessaria est vox *alii*, ut censet Ernestius, at patet auctorem breviter innuisse opinatos esse homines, fuisse Caesari alias causas etc." Recte, sed exstat alia, graviorque causa, cur Burmanni coniecturam accipere non possimus; eam volo: quod illa mutatio sensum depravat et obscurat. Quid enim vult auctor? Inter se opponit *praetextum* et *causas*, i. e.: *causam fictam* contra *veram causam*. Ex ordine vocabulorum appa-

ret vocabulum *causas* emphasin habere, non adiectivum *alias*. Minime narrare vult auctor varios homines inter se dissensisse de variis belli civilis causis, sed omnes cives una consensisse praetextum a Caesare allatum revera fictum fuisse et veras armorum causas longe diversas fuisse ab hoc praetexto. Sensus hic satis clarus et lucidus est, quod non amplius contendere possumus postquam inseruimus cum Burmanno vocabulum *alii*, quia tali modo amittimus oppositionem necessariam inter *praetextum* et *causas*. Conservetur ergo textus traditus.

In eiusdem capitis fine valde miror a viris doctis anxie conservatum esse emblema ineptissimum, cum aliud emblema deleverint. Legimus autem:

> *Quod existimasse videbatur et Cicero, scribens de Officiis, libro tertio, semper Caesarem in ore habuisse .... Euripidis versus e. q. s.*

Quae olim legebantur inter *habuisse* et *Euripidis* summo iure uncis inclusa sunt, sed qua de causa simul non amoverint interpretes alterum emblema, certe non intelligo. Nam procul dubio et vocabula *tertio libro*, eandem ob causam pro glossemate sunt habenda. Numquam Suetonio in mentem venire potuit ea addere, primum quia non solebant scriptores veteres citare libros, capita vel paragraphos, deinde quoniam nimirum melius Romani sciebant quo loco in opere „De officiis" legerentur versus illi, quam ex quo dramate Euripidis eos hauserit Cicero. Deleantur ergo.

Cap. 44. *Nam de ornanda instruendaque urbe, item de tuendo ampliandoque imperio plura ac maiora in dies destinabat.*

Sic legimus in editione Rothiana; Casaubonus, Crusius, Burmannus contra ediderunt *iam*. Codices vel carent prima littera, vel exhibent *nam*, quod praeferunt Oudendorpius, Ernestius, Wolfius. Attamen recte iam monuit Crusius *nam* dici non posse in transitu, sicut fit loco nostro, ad argumentum prorsus diversum. Adhibetur quidem saepe, ut coniunctio Graeca γάρ in responsione vel disputatione, sed numquam in narratione, quae cum praecedentibus minime cohaeret. Prorsus enim diversa tractat Suetonius capite 43 atque cap. 44. Desideratur ergo vocabulum aliquod significans *praeterea*, *deinde*, *porro*, quod facillime e codicum lectione corrupta restitui potest. Scripsit nimirum auctor *etiam*. Ultima tantummodo huius vocabuli pars aetatem tulit, at levissima mutatione in integrum restituendum est. Vocabulum *etiam* hic significare debet: *Quod plus est*, *Et quidem*, nam si recte intelligimus varias res a Suetonio narratas, videmus caput 43 continere facta et consilia Caesaris minoris momenti. Capite 44 transit auctor ad res maioris momenti: opera publica atque omnia, quae pertinent ad totius imperii salutem. Caput ergo 44 habendus est climax capitis praecedentis, qua de causa coniunctio *etiam* apte scripta fuerit.

Cap. 49. *Pudicitiae eius famam nihil quidem praeter Nicomedis contubernium laesit, gravi tamen*

et perenni opprobrio et ad omnium convitia exposito.

Satis obscura haec sententia est. Sicut nunc eam legimus: *opprobrium grave et perenne expositum est ad omnium convitia*, quod quo modo fieri possit, me prorsus non intelligere lubens confiteor. Sine dubio contubernium Nicomedis Caesarem exponere potuit ad omnium convitia; ipsum quoque contubernium exponi potuit ad convitia, sed nullo modo opprobrium exponi dici potest. Quid hoc sibi vult: *opprobrium ad omnium convitia expositum?* Nimirum hoc dicere voluit auctor: Contubernium illud famam Caesaris laesit, quoniam gravi et perenni opprobrio eum affecit, atque eum exposuit ad omnium convitia. Sed haec Latine scribi non possunt eo modo, quo nunc in textu tradito legimus. Vitium ergo aliquod haerere in verbo *exposito* suspicor. Quid autem legendum est? Fortasse *expositum*? Haud dubie haec lectio defendi potest. Optime enim dicere possumus: Ipsum contubernium expositum erat ad omnium convitia, quae inde ad Caesarem redundabant. Eam praesertim ob causam haec lectio mihi arridet, quod levissima mutatione restitui potest, sed etiam malim: *eam exponens*, i. e.: *famam pudicitiae.* Sic tandem bonum sensum praebet sententia nostra. Attamen pronomen *eam* etiam omitti potest, nam nemo est, qui non intelligat, quem vel quid ad omnium convitia exposuerit. Sed fortasse audacior videtur coniectura *exponens*, quod de lectione *expositum* certe contendi non potest. Legendum ergo, nisi omnia me fallunt: *et ad omnium convitia expositum.*

Cap. 56. *Reliquit et rerum suarum commentarios, Gallici civilisque belli Pompeiani.*

Denuo incidimus in hac sententia in vocabulum non solum prorsus supervacuum, sed etiam lectoris aures offendens. Illud *Pompeiani* insulsissimum est emblema. Numquam enim ipse Caesar bellum civile alio nomine nominavit quam illo *civile*, quod bellum cum Pompeio gestum fuisse, omnibus Romanis, etiam recentioris aetatis optime notum fuit. Sine dubio Caesar cum aliis quoque bella civilia gessit, sed illorum bellorum commentarios non scripsit. Bellum civile, a Caesare descriptum unum tantum est atque scribi potuit; hac de re nemo dubitare potuit. Praeterea Caesar commentariis suis inscripsit titulum „Bellum civile", non „Bellum civile Pompeianum" vel „Bellum Pompeianum" et hunc titulum, a Caesare scriptum et lippis ac tonsoribus notum, citare voluit Suetonius. Nulla exstabat causa cur adderet auctor hanc definitionem *Pompeiani*, quia nullo modo dubium esse potuit cuius belli civilis mentionem fecerit Suetonius. Quam ob rem credo glossatorem quendam suprascripsisse *Pompeiani*, ut indicaret id bellum voluisse auctorem, non unum ex aliis Caesaris bellis civilibus. Nomen proprium ergo delendum censeo.

Cap. 58. *In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior, exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transvexit, nisi ante*

per se portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset.

Venimus ad locum fere desperatum. Omnes libri Mss. eandem praebent lectionem, quam valde mendose traditam esse viderunt interpretes omnium aetatum. Sed olim tantummodo in vocabulis *per se* haeserunt viri docti, recte monentes non Caesarem per se exploravisse Britanniam sed per G. Volusenum, ut ipse nobis disertis verbis narrat in commentariis de Bello Gallico (Lib. IV, c. 21). Addit haec Ruhnkenius: „Quod cum Suetonius ignorare non potuerit, culpa referenda est in librarios, qui hunc locum vitiarint." Inde coniicere coeperunt viri docti. Boxhornius et Heinsius legendum proposuerunt *persaepe,* Berneccius et Lipsius *per suos*, Ernestius *nisi ante quam* e. q. s., Burmannus ipsum Suetonium errasse statuere malebat. Solus Baumgarten-Crusius defendit lectionem vulgatam, annotans postquam citavit ipsius Caesaris verba: „Sed hoc non impedit, quominus et *per se*, i. e. *ipse* (δι' ἑαυτοῦ) locum perspeculatus fuerit. Ex Caesaris silentio nondum Nostrum erroris arguerim." Post haec citat varias emendationes et deinde sic pergit: „Alii Imperatori tribuunt, quae per legatos administraverit. Sed ita auctor non diserte addidisset *per se*". Ultima haec opinio fuit Vossii et Berneccii, quod tamen a Suetonii stylo alienum esse monuerunt et Ernestius et Oudendorpius. Suetonius enim semper distinguit *per se* et *per legatos*, sive *ductu* ipsius Imperatoris, vel tantummodo eius auspiciis.

Fortasse autem omnes illae emendationes alicuius essent momenti, si praeterea nihil vitii subesset, sed inest etiam

sermonis vitium. Quod primum nostra demum aetate monuit Madvigius, qui, locum nostrum tractans sic annotat (Advers. Crit. II. p. 573 not.): „neque enim de rei factae condicione ante impleta rectius Latine dicitur *non fecit nisi ante explorasset* (pro eo quod est: *non — antequam*, aut *numquam — nisi explorato* vel *nisi perscrutatus*), quam si Germanice dicas: *Er that es nicht* (de re una facta) *wenn er nicht — untersucht hätte.* Sed quoniam mendum est etiam in *per se*, quod et historia convincit et loquendi usus (nam *ipse* dicendum erat), neque correctio probabilis suppetit, locum notatum praetermittamus." Recte ergo nos docuit princeps ille criticorum non solum vocabula *per se* sed totam sententiam prave traditam esse. Post autem Madvigium alius quoque philologus, summi ingenii, Polakius de loco nostro fuse disseruit in libello, quem iam supra citavi. Summo acumine locum in integrum restituere tentavit. Suetonium enim scripsisse coniecit: *neque in Britanniam transvexit nisi ante per Volusenum portubus et navigatione et accessu ad insulam exploratis.*"

Nomen proprium G. Voluseni revocavit ex Caesaris Commentariis (Lib. IV, c. 21), ubi de hac re ita legimus: *ad haec cognoscenda, prius quam periculum faceret, idoneum esse arbitratus G. Volusenum cum navi longa praemittit. Portus* tradi potuisse pro *portubus* et accusativos *navigationem et accessum* pro ablativo, quivis lubenter Viro clar. concedet. Formam *explorasset* sic explicat: „Exaratum erat calami lapsu *explorasit* pro *exploratis*, correctum est de more, ut vulnus fieret insanabilius." Sine dubio coniectura Polakii summa admiratione digna est, nam bonum sensum nunc

denique praebere sententiam nostram, unusquisque lector facile videbit.

Attamen restant adhuc nonnulla, quae me offendant, et si iterum post Madvigium et Polakium eundem locum tractans, arrogantius agere videor, defendere me debeo Polakii verba mea faciens: „Madvigio et Polakio incertiore divinatione hariolari nec libet nec licet fortasse, veteranis principibusque criticis et plurimarum palmarum, at cur mihi non liceat tironi?"

Quamquam autem addit Polakius mutationes suas audaciores esse, magis specie quam re, tamen adhuc credo satis audaces eas esse. Primo loco sine dubio addendum erat praenomen *Gaium* vel *G.*, ut ipse nos docuit Polakius eodem libello, sequenti pagina, ubi recte monuit inserendum esse ante *Lepidi* praenomen eius *M.*, nam „sic fere semper Suetonius". Quaerendum deinde erat cur Suetonius in posteriore sententiae parte citavisset nomen proprium, cum in anteriore parte non diserte nominaverit eos, per quos Caesar perspeculandos curavit locorum situs, quod sine dubio non ipse fecit, sed *per legatos.* Nulla, credo, exstat causa, cur G. Volusenum nominaret, nam, si verum est, quod verisimillimum est, Suetonium non ignoravisse Voluseni nomen, iisdem argumentis contendere possumus certe quoque ei non ignotum fuisse Caesarem locorum situs perspeculatum esse *per legatos*, quae ea de causa etiam addenda essent.

Porro me offendunt *portus et accessum.* Certe ita non dicerem si auctor scripsisset *accessus* in plurali, nam eo modo aliud quid significarent *portus* et *accessus. Portus* enim essent accessus hominum operibus exstructi et emendati, *ac-*

cessus vero ea loca, ubi tantummodo natura facultatem fecit accedendi in insulam. Nunc tamen, *accessus*, in singulari scriptus, nihil aliud vult quam *portus*; generatim sic dictus est et significat omnes *portus*, aut natura, aut hominum labore navigantibus oblatos. Bis ergo in eadem sententia eandem rem nominaret Suetonius, quod vix credere possum. Qua de causa persuasum habeo alius generis vitium haerere in sententia nostra, aliaque via quaerendam esse emendandi rationem. Duas autem credo sententias permixtas esse, vitium antiquissimum, quoniam omnes codices eandem tradiderunt lectionem; id est: remotissimis temporibus glossatoris explicatio vel annotatio in textum irrepsit et cum vero textu in unam sententiam coaluit. Ad hanc opinionem me ducunt vocabula *per se*, quae mihi videntur reliquiae alicuius verbi. Non enim credo aetatem tulisse litteras *s e* sed *s c*, quae cum *per* sunt priores litterae verbi *perscrutari*. Hoc verbo usum fuisse Suetonium pro certo habeo, atque igitur sic eum scripsisse coniicio: *nisi perscrutatus et navigationem et accessum ad insulam,* cui sententia postea suprascripsit altera manus: *antequam portus explorasset*, quae facile cum praecedentibus: *neque in Britanniam transvexit* coniungi possunt. Sic meliorem nos habere sententiam puto. Nunc enim caremus hoc quoque vocabulo, quod semper me offendere perget, adverbio *ante,* quod prorsus supervacuum est, nam Caesarem explorationem faciendam curavisse antequam iter faceret, luce clarius est, atque si iure hic positum esset, desideraretur quoque inter *nisi* et perspeculatus. Varias has ob causas ergo censeo emblema e sententia nostra tollendum esse, eamque sic legendam: *neque*

in Britanniam transvexit, nisi perscrutatus et navigationem et accessum ad insulam.

> *Cap.* 67. *Nec milites eos pro contione, sed blandiore nomine commilitones appellabat, habebatque tam cultos ut argento et auro politis armis ornaret, simul et ad speciem et quo tenaciores eorum in proelio essent, metu damni.*

In ultimis huius sententiae verbis rursus incidimus in vocabula supervacua. Emblema esse enim suspicor haec *metu damni.* Sensus perlucidus est: Caesar milites ornabat armis preciosis ut in proelio prudentiores essent, nec temere arma sua abiicerent. Sic quoque intellexit hoc Caesaris consilium Polyaenus, qui, fortasse ex eodem fonte hauriens, sic narrat (Lib. VIII. c. 23 § 28): „Καῖσαρ τοῖς στρατιώταις παρήγγειλεν, ὅπλα ἔχειν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένα, μάλιστα μὲν κόσμου χάριν· οὐχ ἥκιστα δὲ, ὅπως καὶ οἱ στρατιῶται τὰ πολύτιμα περιμάχηται ἡγοῖντο.” De damno nihil dicit Polyaenus. Praeterea offendit me locus, quem in sententia nostra obtinent vocabula citata. Languide nunc defluit sententia; sine dubio praestitisset scribere: *et quo metu damni tenaciores eorum in proelio essent.* Sed non sunt vocabula ea Suetonii, sunt annotatio ad adiectivum *tenacior.* Tenax rerum suarum est quicumque ne eas amittat veretur. Miles autem tenax armorum suorum melius pugnabit, fortius se defendet quam is, qui arma sua nihili facit. Miles tenax magis dabit operam ne forte hostes armis ipsum spolient. Haec iam omnia insunt in adiectivo *tenacior*, atque ideo deleatur emblema *metu damni.*

Cap. 68. *Denique una sextae legionis cohors, praeposita castello, quatuor Pompeii legiones per aliquot horas sustinuit, paene omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt.*

Apud Caesarum, Bell. Civ. III. c. 53, ipse imperator hac de re narrat: „milia sagittarum circiter triginta, in castellum coniecta, Caesari renumeraverunt." Tantus de numero dissensus mendae suspicionem recte praebuit viris doctis, atque ideo disputare coeperunt de quaestione utrum legendum esset *centum ac triginta* an *ad triginta.* Alii ergo Caesarem ex Suetonio, alii Suetonium ex Caesare corrigendum censuerunt. Suetonii lectionem pravam putaverunt Oberlinus, Ernestius, Oudendorpius, Wolfius; contrarium opinati sunt Ursinus, Crusius, Rothius. Valde miror Crusium, virum sagacem et peritissimum hanc defendisse opinionem et sic annotavisse: „Mihi Suetonii numerus probabilior videtur, cum is quatuor legionibus, omnes pharetras contra oppugnatos exonerantibus magis congruat." Sed quandoque dormitabat bonus Homerus. Nam a quo inde tempore, quaeso, omnes legionarii pharetras sagittasque secum ferebant? Nemo est qui ignoret milites Romanos non sagittis sed pilis gladiisque pugnavisse et tantummodo inter auxilia fuisse nonnullas copias, quae arcus sagittasque haberent. Cretenses e. g. celeberrimi erant sagittarii, quorum numerus in Pompeii exercitu non tantus esse potuit, ut sagittarum numerus a Suetonio allatus verisimilis fiat. Sine dubio credo Suetonium hac in

re ante oculos habuisse Caesaris locum, cuius auctoritas certe maior habenda est. Et ipse Caesar, ni fallor, arbitrarium dedit numerum, satis magnum, ex quo apparet acerrime pugnatum fuisse apud castellum suum, nam vix credibile est milites eius rebus tam difficilibus atque angustis anxie numeravisse omnes sagittas intra vallum repertas.

Deinde tantummodo respiciunt milites eas sagittas, quae intra vallum ceciderunt, earum, quae extra vallum iacent nullam faciunt mentionem; attamen procul dubio et extra vallum nonnullae pluresve sagittae humi iacebant. Censeo ergo Caesaris lectionem in nostram sententiam transferendam esse et legendum apud Suetonium *ad triginta millia.* Praesertim id defendere possumus, quod nullus liber Ms. dat numerum *centum*, sed tantummodo *C*, quod nimirum est glossatoris, qui interpretari voluit praepositionem *ad. C* est pro *circa*, *circiter*, ex Caesare sumtum. Suetonium praepositione *ad* usum fuisse hac significatione apparet ex pluribus locis, ex quibus cito: Caesar, cap. 20 et 25; Augustus, cap. 15. Legatur ergo in sententia nostra: ....*paene omnis confixa multitudine hostilium sagittarum*, *quorum ad triginta millia intra vallum reperta sunt.*

> *Cap.* 82. *Caesar .... utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti*, *toga caput obvolvit*, *simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit*, *quo honestius caderet etiam inferiore corporis parte velata.*

Ultima huius sententiae verba, *etiam inferiore corporis*

parte velata spuria mihi videntur et iam antea Gruterus omnia haec pro glossemate habuit. Annotat Oudendorpius: „Male (ita censet Gruterus) cum eodem modo referat Valerius Maximus." Haud dubie, ille enim sic rem tradidit (Lib. IV. c. 5, 6): „ne tribus quidem et viginti vulneribus, quin verecundiae obsequeretur, absterreri potuit. Siquidem utraque togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur." (Sic plerique libri Mss. et editiones Valerii; equidem cum Pighio aliisque praeferam lectionem codicis Cauchiani: *inferiore corporis parte*, nam vix Latine dici potest partem tantummodo corporis collabi, quod nimirum de ipso Caesare scriptum est). Argumentum autem, quod Oudendorpius ex illis Valerii verbis hausit contra Gruteri opinionem, ego afferre volo pro ea. Si Valerius vixisset post Suetonium, fortasse credere possemus Valerium ante oculos habuisse Suetonii locum, sed cum ita res sese non habeat, vix aliud quid e Valerii verbis hauriri potest, quam hoc: Verba, quae legimus apud Suetonium, a glossatore quodam sumta sunt ex Valerio Maximo ut interpretaretur vocabula *quo honestius caderet.* Addit Oudendorpius ea vocabula pendere a verbis: *etiam inferiore corporis parte velata*, quod minime verum est. Pendent a praecedentibus: *sinum ad ima crura deduxit*, ut eo, ut ita, honestius caderet. Sensus horum verborum perlucidus est, nec indiget annotatione vel interpretatione. Aliis quidem verbis eandem rem narrant Ovidius (Metomorph. Lib. XIII. vs. 479) et Justinus (Lib. XIV. c. 6), sed sensus prorsus idem est. Nimirum Caesar sinum tunicae deducit ne quid indecori in eius corpore videri possit. Haud dubie ergo verba citata aliena sunt a

Suetonii loquendi ratione, quia succincte et breviter narrare solet. Non accipiendum censeo Oudendorpii coniecturam: *inferiore sui parte*, sed delendam totam sententiae ultimam partem, ac sic legendum: *simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet.*

DIVUS AUGUSTUS.

Cap. 8. *Profectum mox avunculum in Hispanias, adversus Cn. Pompei liberos, vixdum firmus a gravi valitudine, per infestas hostibus vias paucissimis comitibus naufragio etiam facto subsecutus, magnopere demeruit, approbata cito etiam morum indole super itineris industriam.*

Augustus avunculum (Caesarem) secutus est in Hispaniam per vias periculosas, ut ibi, Caesare duce, bellum gereret cum Gn. Pompeii liberis. In Hispania autem Caesarem *magnopere demeruit,* i. e.: sibi devinxit, obstrinxit, sicut legimus: *approbata cito morum indole.* Quid hic sibi vult vocabulum *cito*? Vix explicari potest, ut solet, *mox*, *brevi tempore*; addit enim disertis verbis Suetonius: *etiam .... super itineris industriam,* quae significant: Augustum non approbavisse, i. e.: ostendisse, probam, rectam indolem celeritate itineris, sed *praeter* (quod prorsus idem valet ac *super*) hanc industriam aliis quoque factis, rebus scilicet gestis in bello.

Locutionem: *super* coniunctum cum *etiam*, *quoque*, *vel* apud

Suetonium significare: *praeter*, apparet ex permultis locis, e quibus cito: Aug. c. 59 (*super templa et aras, ludos quoque — constituerunt*); Tib. c. 75 (*exacerbati super memoriam pristinae crudelitatis, etiam recenti atrocitate*); Claud. c. 1 (*super victorias opima quoque spolia captasse*); Claud. c. 5 (*super veterem segnitiae notam ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit*) et Nero, c. 31 (*super fiduciam imperii etiam spe.... opum impulsus est*).

In Hispania igitur sub avunculo stipendia faciens, Augustus ostendit veram indolem, non solum virtute, sed etiam prudentia. Quae tamen breviore temporis spatio fieri non solent, quoniam veram prudentiam virtutemque melius ostendere possumus pluribus factis, quam uno, et quod praesertim iuvenis „*expers belli propter aetatem*", non tam facile avunculum, militem peritissimum, qualis Caesar erat, sibi devincire poterat. Qua de causa credo in vocabulo *cito* latere vitium.

Legentes enim *approbata indole* nimirum quaerimus cui indolem suam probaverit commendaveritque Augustus? Post *approbata* ergo inserendum est pronomen vel tale quid. Cum substantivo *avunculum* coniungi non potest, quoniam desideratur casus dativus. Difficile autem non est restituere hunc dativum; adverbium *cito* enim corruptum est ex *culo*, quae est postrema pars illius vocabuli, quod quaerimus. Non opus erat Augustum ostendere indolem militibus comitibusve, nec tribuno alicui vel legato, sed tantummodo Caesari, ut Caesarem demerere posset.

Attamen nec contendere volo, nec credere possum Suetonium scripsisse *avunculo*. Bis in una sententia repetitum vocabulum haud dubie auctorem offendisset, qua de causa

scripsit: *approbata ei.* Ut hoc pronomen interpretaretur supraposuit glossator quidam *avunculo*, cuius substantivi pars ultima in textum irrepsit et sic prave tradita est. Talia non semel sed saepius facta esse, uno exemplo ostendam, sumto ex libro Viri Clar. Tj. Halbertsma. Legitur enim in Augusti vitae capite 87: *Ponit assidue et pro stulto „baceolum apud pullum pulleiaceum", et pro cerrito „vacerrosum", et „vapide" se habere pro male, et „betizare" pro languere, quod vulgo „lachanizare" dicitur e. q. s.* Hoc quoque loco simili modo verbum *languere* in textum irrepsit.

Scripsit nimirum auctor: *pro eo, quod vulgo „lachanizare" dicitur.* Videmus ergo Suetonii aetate verbum *lachanizare* in usu fuisse, sed nihilominus facile fieri potuit, ut verbum hoc insolitum glossatori alicui obscurius videretur, qui propterea suprascripsit verbum quotidianum *languere.* Sic nostro quoque loco mihi fingo glossema *avunculo* in textum irrepsisse, idque mutilatum.

Pro *cito* ergo legendum puto *ei.*

Cap. 10. *Priore* (*die*) *Antonius fugisse eum* (*Augustum*) *scribit ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse e. q. s.*

Augustus pro praetore exercitui praeest et cum Hirtio et Pansa opem fert D. Bruto adversus M. Antonium. Duobus proeliis bellum Mutinense confectum est. Hoc tempore nimirum M. Antonius acerbissimus fuit hostis Augusti et cum ipse Antonius nobis sit auctor priore proelio Augustum turpiter fugisse, haud dubitandum est quin Antonius de fuga

narrationem veriorem quam clementiorem fecerit. Vivis coloribus hanc depingit fugam, ut hostem suum quam maxima infamia adspergat. Narrat ergo Augustum post biduum apparuisse sine paludamento, i. e.: sine omnibus honoris insignibus. Haud dubie turpis hoc erat fugae argumentum. Sic fugit Pompeius apud Pharsalum „detractis insignibus imperatoris". (Caes. B. Civ. Lib. III, c. 96); sic Sextus Pompeius (Dio Cassius, Lib. XLIX), nam, ut recte annotat Burmannus ad locum nostrum: „In summo periculo aut fuga soliti duces paludamenta ponere", ne quid fugientem impedire possit. Vestimenta armaque deiicit imperator, sed vix credibile est eum ex equo unquam descendisse eo momento, quo summum periculum, immo mortem, quam celerrime evitare conatur.

Deinde facile explicari non possit cur Augusti reditus post biduum turpior sit sine equo quam cum equo; sine dubio Augustus fugiens tam equum suum amittere quam novum invenire poterat. Sed revera nihil equus ille ad rem, nihil ad fugae reditusve turpitudinem.

Aliam ergo rem nobis Antonium narravisse suspicor, mentionemque fecisse non *equi* sed *clypei*. Aeterna enim infamia tam apud Romanos, quam apud Graecos laborat, summo dedecore operitur is, qui in proelio clypeum abiecit. Uti unicus ducum mortuorum in acie honor, in clypeo suo efferri, ita summum dedecus in pugna illum abiecisse. Post biduum *demum* Augustus apparet, i. e.: non mansit in exercitus sui vicinia, quod pedes haud dubie facere debuerat, sed multum erravit et per longas ambages ad castra tandem rediit. Redit abiectis omnibus honoris insignibus, unde, se-

cundum Antonium, apparet turpiter et timide eum fugisse. Qua de causa legendum puto: *sine paludamento clypeoque.*

Rogabit nimirum aliquis: „Quid duci cum clypeo?", cui respondeo: optime sane scio vulgo duces secum non tulisse clypeos vel scuta, sed, si recte legimus Suetonii narrationem, si videmus utraque parte acerrime pugnatum esse, Augustumque in summo versatum esse periculo, si porro cogitamus de veterum pugnandi ratione, quae longe differt a nostrae aetatis more — nam veteres duces non solum spectatores erant e colle propinquo, ut hodie solent, sed revera pugnabant inter alios —, procul dubio accipere possumus etiam duces in proelio sumpsisse scuta ut se defenderent contra hostium gladios sagittasve. Cur, quaeso, duci non licuisset se defendere; qua de causa coacti essent imperatores corpus vitamque exponere periculis sine ulla defensione?

Ubique fere tacent de hac quaestione scriptores veteres, sed unus exstat locus, qui valde affirmat opinionem meam. Locum volo apud Livium, ubi de Tiberio Graccho sic narrat (Lib. XXV. c. 16 § 21): „inter haec dicta paludamento circa laevum brachium intorto — nam ne scuta quidem extulerant — in hostis impetum fecit".

Legimus ergo Gracchum, ducem, paludamento usum esse tamquam scuto, i. e.: sic agit, quia scuta secum *non* extulerant, nam, si scuta ad manus fuissent, sine dubio clypeum cepisset. Disertis verbis hic narrat Livius id ipsum, quod quaerimus: Si pugnabant duces Romani, eodem modo ac milites, armis telisque usi sunt. Et quod fecit Tib. Gracchus, cur id facere non potuit Augustus? Quodsi tantummodo rediisset Augustus ad suos sine paludamento sed cum clypeo

ex ea re apparuisset paludamentum eum abiecisse ut melius fortiusque pugnare posset, quod nunc tamen non fecit.

Levior tunc fuisset turpitudo, quoniam omnes milites videre potuissent ducem quoque pugnavisse seque defendisse. Nunc paludamentum abiecit ne forte fugam impediret, nunc de semet ipso tantum cogitavisse Augustum apparet.

Quibus de causis persuasum habeo lectionem, quam propono, quamvis audaciorem, tamen omnino abiiciendam non esse, atque igitur apud Suetonium legendum censeo pro *equoque clypeoque.*

Cap. 11. *Hoc bello cum Hirtius in acie, Pansa paulo post ex vulnere perissent, rumor increbruit ambos opera eius occisos, ut Antonio fugato, re p. consulibus orbata solus victores exercitus occuparet.*

Hanc lectionem praebent plerique codices, in quibus omnium optimus, Memmianus. Haec est causa, cur Rothius librorum Mss., imprimis Memmiani, auctoritatem secutus, etiam nunc in editione sua lectionem traditam, quamquam mendosam, retinuerit. Mendose enim traditum esse hunc locum iam viderunt veteres quidam interpretes.

Nostra autem aetate Polakius acute de loco nostro disseruit; post eum aliosque doctissimos, ut Burmannum, Oudendorpium, Crusium, pauca quaedam mihi addenda sunt. Antonius fugatus est et Pansae quoque copiae primo die fusae sunt; rectissime ergo omnes fere interpretes monuerunt exercitus *victores* appellari non posse. Veram lectionem servaverunt duo codices, Vindobonensis et Viterbiensis, qui

sic legunt: *solus victor tres exercitus.* Augustus solus victor dici potest, ex tribus enim victoribus et imperatoribus, ut illos vocat Cicero, post consulum mortem, solus superest. Recte quoque monuit Polakius adiectivum *victor* potius ad Augustum referendum esse, quam ad exercitus ab ipso occupatos.

Deinde invehimus vocabulum *tres.* Sine dubio, quod ad rem palaeographicam attinet, fieri potuit ut paucae illae litterae evanescerent et verisimile esse revera ita auctorem scripsisse apparet ex tribus locis, ubi eadem historia narratur. Primus est apud Eutropium, qui Suetonium reddere solet, (Lib. VII. c. 1.) ubi haec legimus: „Profecti contra Antonium tres duces vicerunt eum. Evenit tamen ut victores Consules ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Caesari paruerunt". Opponit igitur *tres uni*, ut Suetonius *solus tres.* Alter locus est apud Orosium (Lib. VI. c. 18), qui narrat: „Consulum occisorum uterque exercitus Caesari paruit".

Hic quoque legimus singulos consules suas habuisse copias, nec coniunctim uni praefuisse exercitui. Augustus contra, privatus, exercitum collegerat, cui pro praetore a senatu praepositus erat, quae omnia confirmantur loco tertio, quem invenimus apud Tacitum (Ann. Lib. I. c. 10), ubi: „Mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa.... utriusque copias occupavisse."

Omnibus his locis disertis verbis traditur Augustum, post victoriam reportatam, tribus praefuisse exercitibus. i. e.: suo proprio, Hirtii, Pansae. Restituendam tandem veram, quamvis deterioris codicis, lectionem censeo et legendum, ut iam

in vetustioribus, Oudendorpii, Crusiique editionibus: *solus victor tres exercitus occuparet.*

> *Cap.* 13. *Nec successum victoriae moderatus est....; alios, patrem et filium, pro vita rogantis sortiri vel micare iussisse, ut alterutri concederetur, ac spectasse utrumque morientem, cum patre, quia se optulerat, occiso filius quoque voluntariam occubuisset necem.*

Locus notissimus, de quo fuse disputaverunt viri docti. Lectio *micare* invenitur in tribus tantum codicibus, alii omnes habent *dimicare.* De significatione verbi *micare* tractaverunt multi interpretes, sed vanam dederunt operam. Nemo enim est, qui dubitet unquam aliud id significare posse, quam *ludere digitis.* (De hac significatione vide locum ab aliis quoque citatum apud Ciceronem. De officiis, Lib. III. c. 19 et 23).

Duo igitur verba, *sortiri* et *micare* fere idem valent, ambo significant: *sorti atque fortunae rem permittere.* Minime diversa sunt, non enim alia intercedit discrepantia, quam quae est inter genus et speciem. Quae cum ita sint, credere vix possum Augustum patri et filio dedisse facultatem optandi utrum sortirentur an micarent. Eodem enim haec redeunt. Aliam igitur optionem dedit imperator. In plerisque libris Mss. legimus lectionem, quae sola vera esse potest: *sortiri vel dimicare.*

Nimirum Augustus eos rogavit: „Utrum eligitis? Aut sorte, aut pugna designare debetis uter vestrum morte af-

ficiendus sit." Recte annotavit ad haec verba Burmannus: „Captivos ita tractare mos fuit, praesertim Poenorum." Sic narrat de Hannibale Val. Maximus (Lib. IX. c. 2): „Quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum iungens, ferro decernere cogebat;" quam narratiunculam etiam apud Livium invenimus, libro XXI, cap. 42. Appianus quoque huius rei mentionem facit; *Egnatios* vocat patrem ac filium, et mutuis vulneribus eos cecidisse scribit, unde luce clarius apparet eum quoque audiisse et legisse patrem ac filium *dimicavisse*, non *micavisse.*

Sed etiam gravior restat causa, cur lectio *micare* tollenda mihi videatur. Duae res similes apud Suetonium semper iunguntur coniunctione *sive,* numquam coniunctione *vel*; inter se differentes res contra semper et sine ulla exceptione habent copulam *vel*, numquam *sive.* Nostro autem loco copula *vel* testatur auctorem dedisse duas res, prorsus inter se distantes, ut revera pater et filius optionem facere possent, quae inter *sortitionem* et *micationem* fieri non potest.

Ergo contra omnes doctos interpretes, qui pravam retinuerunt vel restituerunt lectionem, adhuc censeo legendum esse: *patrem et filium*, *pro vita rogantis*, *sortiri vel dimicare iussisse.*

Cap. 16. *Siculum bellum inchoavit in primis, sed diu traxit intermissum saepius, modo reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio et quidem per aestatem amiserat e. q. s.*

Vocabula *duplici naufragio* suspecta mihi videntur atque

glossema esse, e margine in textum translatum persuasum habeo. Mirandum non est glossatorem adscripsisse, nam notum est tempestatem, qua naves perdidit Augustus per biduum saeviisse. Hanc nobis rem narrant Appianus (Bell. Civ. Lib. V. 88 seqq.) et Dio Cassius (Lib. XLVIII c. 47 seqq.), unde apparet Augustum et priore et sequenti die partem classis amisisse. Procul dubio de *duplici naufragio* loqui potuit glossator ut melius explicaret cuius tempestatis mentio fieret ab auctore. In sententia tamen nostra prorsus abundant vocabula citata, nam ex substantivo *tempestatibus* satis lucide intelligimus naufragium causam fuisse cur Augustus classem perdiderit, non incendium, proelium navale vel aliam calamitatem; ex numero vero plurali: *tempestates* videmus procellam unius diei noctisque excessisse terminos.

Minime ergo hac annotatione in textu opus erat. Deinde quae sequuntur: *et quidem per aestatem* coniungenda sunt cum tempestatibus. Recte ad haec annotat Casaubonus: „Non sine causa notat, nam neque solet fieri in illo mari et calamitas Caesaris eiusmodi fuit, ut confessione omnium ira deorum adversus ipsum, favore adversus Sextum accidisse videretur."

Interiectis autem verbis *duplici naufragio* inter *tempestatibus* et *et quidem* etc., dubitare possemus utrum *et quidem* etc. coniungenda essent cum *tempestatibus*, an cum *duplici naufragio*. Duo haec vocabula significationem sequentium: *et quidem* etc. debilitant, totius sententiae contextum corrumpunt.

Etiam in sequentibus auctor iterum hac de re agit his

verbis: *quasi classibus tempestate perditis.* Nulla hic mentio fit naufragii, quoniam ex substantivo *tempestas* satis apparet calamitatis ratio. Quibus de causis non credo verba *duplici naufragio* a Suetonio scripta esse, sed e margine in textum traditum irrepsisse.

Cap. 19. *Tumultus posthac et rerum novarum initia coniurationesque complures, prius quam invalescerent indicio detectas, compressit alias alio tempore: Lepidi iuvenis, deinde Varronis Murenae et Fanni Caepionis,.... ad extremum Telephi, mulieris servi nomenculatoris.*

In hoc loco tractando non possum quin admirer summam doctrinam et perseverantiam, quam adhibuerunt plerique viri docti ut interpretarentur textum traditum. Sed frustra, nam funditus corrupta sunt vocabula quae nobis exhibent libri Mss.

Inter varias coniurationes, quas compressit Augustus, ultimam enumerat auctor *Telephi*, nomenclatoris cuiusdam, et addit Telephum fuisse *servum mulieris.*

Quid sit nomenclator, nemo est qui ignoret, sed quid velit hoc loco additamentum *mulieris servi*, nemo est qui satis explicare possit. Nomenclatores semper fuerunt servi, nullam ergo utilitatem habet haec tituli circumscriptio vel repetitio. Multa tamen viri docti in annotationibus monuerunt, quae nihil ad rem faciunt. Disseruerunt de nomenclatoris munere Casaubonus, Oudendorpius, Wolfius, Ernestius, Burmannus; de forma nomen*cu*latoris fere iidem. Egregie tamen falluntur omnes interpretes, tam veteres, quam recentiores, si credunt vocabulum *mulieris* sanam esse. Quis mu-

lieri nomenclatoris usus? Omnia argumenta, quae ad locum nostrum defendendum adhibent viri docti, ex hoc ipso loco hauriunt. Nusquam, tota Latinitate, locum invenire possumus, unde appareat ullam feminam unquam nomenclatorem habuisse. Loci, quos citant ex Statio, ex Martiale (Lib. VIII. Ep. 21—23), ex Iustino (Lib. XXX. c. 2), prorsus alias res narrant, atque id, quod in iis quaerimus. Burmannus quidem in fine annotationis suae citat locum Plinii (Lib. XXXIII. c. 6), unde haurit: „Mulieres vero divites et quibus turba servorum esset, potuerunt quoque *servorum causa*, quorum nomina ignorabant, nomenculatores adhibere." Plinius fuse disputat eo loco de luxu sui temporis, de anulorum usu etc., sed ne verbo quidem illic mentionem facit mulierum. Quae dixit Plinius de nomenclatoribus adhibendis, intelligenda sunt de viris, non de mulieribus.

Fatendum tamen est vocabulum *mulieris*, tam nude positum, plerisque viris doctis displicuisse; librorum tamen Mss. auctoritatem aspernari non ausi sunt. Sed ad ipsum locum redeamus et videamus quid narret auctor.

Coniuravit Telephus quidam, servus mulieris. Cuius mulieris? Quae, quaeso, est haec mulier? Si verum esset, quod contendunt omnes interpretes, saepe aetate imperatoria factum esse ut mulieres quoque nomenclatoribus uterentur, luce clarius est matronas tantummodo nobilissimas ditissimasque huius generis servos habuisse. Si ergo Telephus mulieris servus fuisset, sine dubio nomen illius mulieris per totam urbem cognitum fuisset, coniuratione Telephi nomen illud in omnium ore fuisset, et, quod pro certo habere possumus, ad Suetonii quoque aures venisset. Nimi-

rum auctor mulierem nominasset, non scripsisset temere: *mulieris*, tamquam de muliere infimae conditionis ageretur.

Hoc ipsum nomen est, quod quaerimus. Et unus saltem est in numero interpretum, qui veram mendi naturam intellexerit, Nic. Heinsium dico. Is solus vidit in vocabulis *mulieris servi* latere nomen proprium nomenclatoris domini. Domini tantummodo nomen bonum praebere sensum potest.

Ex coniectura verum nomen restituere non possumus. Latetne in vocabulo *mulieris* Aemilii? Nemo scit. In *servi* Servii vel Severi? Nemo est, qui respondere possit. Nescimus et fortasse numquam illud nomen inveniemus, sed verba *mulieris servi* orta esse e nomine proprio corrupto pro certo affirmare audeo. Deleantur ergo haec verba, legatur: *ad extremum Telephi.... nomenclatoris*, usque ad tempus quo e novis fontibus, adhuc incognitis, verum domini nomen tandem effodere poterimus.

> *Cap.* 21. *Nec ulli genti sine iustis et necessariis causis bellum intulit, tantumque afuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in aede Martis Ultoris iurare coegerit mansuros se in fide ac pace, quam peterent, a quibusdam vero novum genus obsidum, feminas, exigere temptaverit, quod neglegere marum pignera sentiebat; et tamen potestatem semper omnibus fecit, quotiens vellent obsides recipiendi.*

Multa legimus in veterum interpretum annotationibus spectantia ad quaestionem utrum revera hoc genus obsidum

novum sit, an non; quae tamen silentio praeterire possumus. Videamus autem de ultimis sententiae verbis, quae corrupta mihi videntur.

Si sana est lectio: *recipiendi*, *recipere* idem valet ac *recuperare*, sicut saepius apud Suetonium, e. g.: Aug. c. 8: *Post receptas Hispanias*; Tib. c. 9: *Recepit et signa, quae M. Crasso ademerant Parthi.* Quid autem significat *recuperare obsides*? Haud dubie non est: *recipere nonnullos ut mittant alios*, non est *mutare*, nam, si id voluisset auctor, nimirum disertis verbis scripsisset, usus esset aut verbo *mutandi*, aut *permutandi.* Igitur nihil aliud significare potest, quam *recipere in perpetuum*, *in omne tempus*, i. e.: foederis vel pacis fundamenta et praesidia tollere; id ipsum facere, quod omnibus modis evitare vult Augustus.

Ut pacem, summo labore, magnaque opera saepe impetratam, firmissimis pignoribus sanciret, eam ob causam feminas exigit, non viros, quod sperat barbaros non neglecturos esse feminas, sicut negligunt viros; simulne iis daturus esset facultatem recuperandi haec pignora ut statim bellum renovare possent? Quae credat, qui credere vult. De ea re ne cogitavit quidem Augustus. Sed in verbo *recipiendi* latet vitium, levique mutatione restituenda est lectio, quam veram puto. Facultatem non facit *recipiendi*, sed *revisendi obsides quoties vellent.* Feminas non negligent mariti, parentes, cognati, ut sperat, idque eo minus, si per intervallum, si subinde *revisere* eas poterunt, ne longiore temporis spatio earum quoque obliviscantur.

Testis est Tacitus, qui narrat inter obsides fuisse „puellas nobiles", unde apparet Augustum non exegisse vetulas vel

infimae conditionis feminas, sed tales, quae cognatis amicisque cordi esse debebant.

Legimus enim apud Tacitum (Germania, cap. 8): „Captivitate(m) longe impatientius feminarum suarum nomine timent; adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur." Si autem iis potestas ab Augusto facta est, quoties vellent recipiendi puellas illas, minime opus iis erat timere. Etiam vocabula *quoties vellent* potius coniungenda sunt cum *revisendi,* quam cum *recipiendi*, nam ex iis videmus Augustum intellexisse id saepe fieri posse, quod dici non potest de obsidibus recuperandis. Denique, verbum *revisendi* in usu fuisse apud auctorem nostrum, testantur plures loci, e quibus cito: Tib. c. 11: „petit ut sibi permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur"; Galba, cap. 1: „Liviae.... Veientanum suum revisenti.... aquila gallinam albam.... demisit in gremium e. q. s." etc. Credo ergo Suetonium scripsisse *revisendi.*

Cap. 22. *Ianum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum, in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit.*

Venimus ad locum de quo accurate fuseque disseruerunt viri docti. Omnes libri Mss., in quibus antiquissimi optimique eandem praebent lectionem: *ter clusit.* Integrum fere libellum conficere possimus ex doctorum annotationibus disputationibusque de his vocabulis, quas omnes repetere non

licet, sed videamus breviter quid de re narrata firmiter constet apud auctores veteres.

Ianum Quirinum a condita urbe bis omnino clausum esse ante Augusti tempus, testantur, iisdem fere verbis, Livius, lib. I. 19; Plutarchus in Numae historia, c. 20; Florus, lib. IV. c. 12. 64; Vell. Paterculus, lib. II. c. 38 et ipsum Monumentum Ancyranum. De templo clauso sub Augusti regno certa legimus testimonia apud Dion. Cassium, Velleium, Plutarchum et Orosium, unde scimus Ianum clausum fuisse anno 29 a. Chr., post devictum Antonium, (Dio Cass. lib. LI. c. 29; Velleius, lib. II. c. 38; Plutarchus, De fort. Roman. c. 9; Orosius, lib. VI. c. 20. 8) et iterum anno 25, post superatos Cantabros, (Dio Cass. lib. LIII. c. 27; Orosius, lib. VI. c. 21. 1). Haud dubie ergo constat Augustum *bis* Iani templum clausisse, sed de illo tertium clauso nullum habemus testimonium cui fidere possimus. Unus tantummodo exstat locus, ubi narratur Augustum denuo clausisse Ianum anno 2 a. Chr. (Orosius, lib. VI. c. 22. 1), quod factum a nullo alio scriptore confirmatur. Dio (lib. LIV. cap. 36) memorat senatum templum claudi iussisse anno 10 a. Chr., quod tamen Daciorum rebellione impeditum est. Sic autem Monumentum Ancyranum intelligere et interpretari possumus, ubi legimus: „Cum (que) a condita urbe Ianum Quirinum bis omnino clausum fuisse prodatur, eum Senatus per me Principem ter claudendum esse iussit," e quibus verbis nunc apparet bis revera templum clausum fuisse, sed tertium decretum id quidem a senatu fuisse, attamen templum apertum mansisse.

Cum ergo videamus de duobus his factis tantummodo satis

constare apud auctores, quaerere possumus: Cur, si sana esset lectio *ter,* tertium clausi templi mentionem non fecissent fontes veteres? Si omnes, vel nonnulli auctorum, quos citavi, persuasum habuissent Augustum *ter* clausisse templum, sine dubio hoc commemorassent factum disertis verbis, narravissent post quod bellum, quo anno id factum esset. Sed tacent hac de re, qua de causa quam maxime dubitationi istud *ter clusit* est obnoxium. Atque altera quoque restat causa, cur suspectum habeam locum nostrum.

Suetonius scripsit, si fides habenda codicibus: *clusit* pro *clausit.* Silentio praetereunt hanc formam interpretes, vel paucis verbis annotant sine dubio fieri potuisse ut sic auctor scriberet. Quod vix credi potest, nam cur hac forma usus esset Suetonius, quae non est illius temporis, cumque semper scribat *claudere, clausus, claudendum* etc.? Sic legimus apud eum, semper et ubique, sine ulla exceptione; hoc unico loco exstat forma *clusit.* Quae res valde suspecta mihi videtur. (De verbo *claudendi* cf. Caesar, cap. 34: *Massiliae, quae sibi in itinere portas clauserat*; Nero, cap. 23: *clausis oppidorum portis*; Nero, cap. 47: *clausis foribus*; Domit., cap. 17: *et praeterea clausa omnia reperisse*; Tiber., cap. 50: *uno oppido clausam* (*Iuliam uxorem*) etc. etc.).

Habemus ergo duo vocabula, quae ambo vitiosa credamus. Non tamen duabus coniecturis emendanda sunt, sed sufficit una. Suetonius breviter Augusti vitam narrans, uno verbo, ni fallor, exposuit sub eius regno Iani templum aliquoties clausum fuisse. Nonne fieri potuit ut uteretur verbo composito et scriberet: *interclusit*, i. e.: clausit per intervallum; subinde, interdum clausit? Optime scio vulgo *inter-*

cludere nihil significare nisi *praecludere*, *sepire*, *obsepire*, *intersepire*, attamen quaerere velim: Licetne hic cogitare de significatione praefixi, quam nominavi, quae neque ab argentea Latinitate, neque a Suetonii loquendi ratione aliena sit?

Praefixum *inter* hanc significationem habere scimus ex auctoris nostri loco: Augustus, cap. 24, ubi legimus: „ne legatorum quidem cuiquam .... permisit uxorem *intervisere*," quod est: *per intervallum revisere*. Sic intelligimus unde forma *clusit* orta sit atque unde vocabulum *ter*, sed quoniam vetustissimum est vitium, omnesque hoc loco consentiunt codices, numquam magnopere lectionem pravam suspicati sunt viri docti, sed potius summam navarunt operam ut recte interpretarentur sententiam. Qui tamen bene cogitaverit de loci difficultate in re historica et orthographica, facile videbit textum traditum defendi non posse et fortasse mecum censebit legendum esse: *interclusit*.

Restat ut levem correctionem adhibeamus verbis: *in multo breviore temporis spatio*. Delenda enim est praepositio *in*, sicut iam monuit Vir Clar. Cornelissen. Haud difficile est explicare quo modo in textum irrepserit. Glossator quidam, legens verba *ter clusit*, supra textum scripsit signum III, ut indicaret numerum *tres*. Hoc signum prave lectum et intellectum est, ita ut mox mutatum sit in praepositionem *in*, quae a recentiore manu in textum inserta est. Verum enimvero multo potius totum hoc additamentum ineptum atque insulsum e textu amoveamus. Quivis enim sentiet comparationem inter septem saecula, inde ab urbe condita, et quadraginta annos, per quos regnavit Augustus, olere

interpolatoris emblema, Suetonioque vix digna esse. Ad quam opinionem etiam me adpellit textus Monumenti Ancyrani, ubi nihil de temporis breviore spatio legimus, cum praesertim Monumentum haud dubie auctori fons fuerit unde hausit haec omnia. Sublato ergo hoc emblemate potissimum eo modo sententiam nostram legerem: *Ianum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum, terra marique pace parte interclusit.*

> *Cap.* 24. *Decimam legionem contumacius parentem cum ignominia totam dimisit, item alias immodeste missionem postulantes citra commoda emeritorum praemiorum exauctoravit.*

Verba *commoda emeritorum praemiorum* tautologia non ferenda laborare iam monuit Baumgarten-Crusius, et recte quidem, nam *commoda* et *praemia* prorsus idem valent. Sic legimus apud auctorem nostrum: Aug. cap. 49: „.... ad certam stipendiorum praemiorumque formulam adstrinxit, definitis.... commodis missionum"; Calig. cap. 44: „commoda emeritae militiae"; Nero, cap. 32: „stipendia militum et commoda veteranorum"; Galba, cap. 12: „Germanorum cohortem sine ullo commodo remisit in patriam"; et Vitell. cap. 15: „ut.... veteranorum iustaeque militiae commoda polliceretur." Igitur *citra commoda emeritorum praemiorum* idem valet ac *sine praemiis emeritorum praemiorum*, quod sanum esse non potest.

E glossemate nimirum vocabulum *praemiorum* in textum

migravit, quod facile intelligere possumus, si cogitamus de verbo praecedente *emeritorum.*

Duplici enim modo hoc verbum explicari potest, i. e.: tamquam genitivus neutrius generis, vel tamquam casus masculini generis. Genitivus neutrius generis hic significat simpliciter: *praemia emeritae militiae*; genus masculinum vult: *milites emeriti*, *veterani.* Sine dubio significatio posterior praeferenda est, sed glossator quidam, putans *emeritorum* neutrius esse generis, supraposuit *praemiorum*, ut indicaret adiectivum *emeritum* pro substantivo scriptum talem habere significationem. Quodsi vera esset lectio iam sic pleonasmum haberemus, quem quidem evitare studemus.

Praestat ergo interpretari *emeritorum* ut genitivum masculini generis et intelligere totum locum ut locos similes citatos. Inprimis autem delendum censeo *praemiorum.*

> *Cap.* 25. *Libertino milite.... bis usus est: semel ad praesidium coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam ripae Rheni fluminis; eosque, servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit e. q. s.*

Hunc locum prave traditum esse, nemo est, qui non sentiat. Abundant enim vocabula *servos adhuc.* Oudendorpius tamen, consentiente Ruhnkenio, non delenda ea sed mutanda putavit, proposuitque lectionem: *ad hoc servos*, quae lectio meliorem, lucidioremque sententiam non reddit.

Ego, etiam contra summorum virorum auctoritatem, credo

servos adhuc ineptum esse additamentum glossatoris, qui monere voluerit se bene intelligere pronomen *eos*, idque significare *servos ante manumissionem*. Sed, iam satis hoc patet, et non solum nihil ad interpretandum locum nobis haec circumscriptio prodest, sed etiam significationem obscurat.

Satis lucida sunt, quae narrat auctor: Augustus viris feminisque ditioribus imperat servorum numerum, quibus utitur sub priore vexillo, sed antequam eos faciat milites, prius manumittit, libertinosque reddit.

Luce clarius est, ut puto, non opus esse manumittere eos, qui non amplius servi sunt, qui iam iure libertini nominantur, nec magis perspicuum est, quo modo Augustus viris feminisque indicere, i. e.: imperare edicto potuerit manumissos libertinosve. In vocabulis *eosque indictos ac sine mora manumissos* omnia legimus, quibus opus est ad locum nostrum bene intelligendum, qua de causa miror in recentissimis quoque editionibus adhuc inveniri verba citata.

Sine dubio ergo *servos adhuc*, tamquam emblema delendum est.

> *Cap.* 32. *Tabulas veterum aerari debitorum, vel praecipuam calumniandi materiam, exussit;.... diuturnorum reorum et ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quaereretur nomina abolevit, condicione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum poenae subiret.*

Quid est *diuturnus reus?* Non quaero quo modo hoc loco verba citata explicanda sint, nam haec sunt perlucida. Nimi-

rum narrare voluit auctor de reis, quorum multo ante nomina delata erant, tales, quales commemorat in Domitiani vita, cap. 9: „rei, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent." Hac de significatione, vel potius de hac explicandi ratione inter se consentiunt viri docti, interpretes tam veteres quam recentiores; hoc ergo non est quod quaero, sed rogo num bene Latine dici possit *diuturnus reus?*

Estne haec locutio argenteae Latinitatis? Minime, neque aurea, neque argentea Latinitate recte scribi potuit *diuturnus reus.* Nusquam, neque apud Suetonium, neque apud alium scriptorem huius locutionis exemplum inveniemus, hic unicus exstat locus, ubi *diuturnus* dicitur de persona.

Semper coniungendum est adiectivum *diuturnus* cum substantivo, quod significat *statum*, *factum* vel *actionem*, ad haec substantiva tantummodo quadrat, non ad personam. Sic loqui possumus, ut legimus apud nostrum, de *diuturna valetudine* (Galba, cap. 3); de *tam diuturno spatio* (Caesar, cap. 68); sic legimus apud Ciceronem (De divinat. I. c. 49): „Quae extis.... praesentiuntur, haec notata sunt observatione diuturna"; vel apud eundem (De Senectute, cap. 19): „Nihil mihi diuturnum videtur, in quo est aliquid extremum." Non difficile est sexcenta huius rei afferre exempla sed minime facile est alterum praebere exemplum usus, quem Suetonius traditur huius adiectivi fecisse.

Diuturnus reus non est Latine dictum et valde miror hunc locum per omnia saecula mansisse intactum, nec unquam offendisse ullum interpretum. Equidem persuasum habeo lectionem *diuturnorum* pravam esse, ortamque e pluribus vocabulis, quae, remotissimis temporibus male descripta,

deinde non satis intellecta sunt et in unum tandem vocabulum coaluerunt. Quae tamen revera scripserit Suetonius, quaeque nunc ex coniectura in integrum restituenda sint, statuere non possum. Coniicere tantummodo nobis licet, quae fere auctor scribere potuerit.

Ipsa crimina reorum non nominantur, unde apparet Augusti benignitatem complexam esse variorum criminum reos. Sive autem accipimus Augustum liberavisse unius generis criminum reos, sive variorum criminum reos, haud dubitandum est quin auctor hic quoque criminum generum mentionem fecerit. Nusquam apud Suetonium legimus vocabulum *reus* nude positum, semper coniunctum cum alius substantivi genitivo, ut: caedis, parricidii, criminis, adulterii, obscoenitatis, falsarum tabularum, maiestatis, incesti, omnium criminum, peregrinitatis, interceptarum pecuniarum. Hunc autem genitivum, i. e.: criminum genus, hic quaerimus et eam ob causam nonnulla suspicor evanuisse vocabula, ut e. g.: *variorum criminum* (*reorum*). Sensus, qui est in *diu*, retinendus est, sed non opus est adiectivo *diuturnorum*, adverbio potius *diutius*, quod significare debet: *eos, qui iam nimis diu inter reos erant.* (*Diutius* nimirum coniungendum est cum forma, non scripta verbi *esse*, quae mente supplenda est, ut e. c. in vita Tiberii, cap. 74: *iam diu frigidus.*) Facessat ergo inepta lectio *diuturnorum reorum* et sic legatur sententia nostra: *diutius variorum criminum reorum . . . . nomina abolevit.*

Quamquam probe scio audaciorem meam coniecturam non temere accipiendam esse, tamen firmiter mihi persuasum est tale quid auctorem nostrum scribere voluisse. Videant tamen doctiores.

Cap. 49. *Et quo celerius ac sub manum adnuntiari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, iuvenes primo modicis intervallis per militaris vias, dehinc vehicula disposuit. Commodius id visum est, ut qui a loco perferunt litteras, interrogari quoque, si quid res exigant, possint.*

Iam antiquioribus editoribus hic locus suspectus visus est; inprimis disputaverunt de vocabulis *a loco.*

Variis modis ea explicare, interpretari, immo etiam emendare conati sunt. Explicavit e. g. Burmannus, qui putat *a loco* significare *a loco rei gestae*, eique adstipulatur Cannegieterus (Ad Avianum, pag. 150).

Emendaverunt Casaubonus et Graevius, qui legendum proposuerunt *alicunde*, i. e.: a loco quodam, a quocunque loco. Sed omnia haec vana. Nam luce clarius est iuvenes illos venire e loco rei gestae; non est credibile illos litteras perferre ex quodam loco, ubi nihil erat gestum; minime opus erat disertis verbis hoc significare.

Nec magis mihi arridet lectio *alicunde*, nam hoc quoque adverbium in sententia nostra prorsus abundat. Numquam enim fuit iuvenis, numquam ullus erit, qui litteras perferre possit *a nullo loco.* A quodam loco eos venire per se satis patet, nec credere possum unquam Suetonium hanc rem, quae per se constat, disertis verbis narravisse. Deinde nihil ad rem facit unde veniant iuvenes, sed quo modo veniant. Quae sane intellexit doctissimus Burmannus, cum annotet: „*A loco* hic interpretor *celerrime, statim, sub manu*, dicitur-

que ea forma, qua *e vestigio, extemplo*, quae idem significant."

Sed *a loco* hoc significare non potest, nec idem est ac *e loco*. Dimidium ergo tantummodo viae decurrit vetus interpres, quia non vidit in vocabulis *a loco* id ipsum adverbium latere, quod quaerimus. Legendum autem censeo pro *a loco*: *illico*, nam id solum bonum praebet sensum. Nunc enim legimus: Commodius id visum est, ut ii, qui, statim post aliquam rem gestam, post aliquid gravius factum, nuntiandi causa Romam missi sunt, ipsi interrogari quoque possent, si quid haec res, hoc factum exigeret. Summa autem commodi in novo vehiculorum invento haec fuit, quod ii, qui statim Romam missi fuerant, brevissimo tempore ad principem perveniebant, quod fieri non potuerat dispositis per intervalla cursoribus.

Adverbium *illico* Suetonio non ignotum fuisse patet ex Caesaris vita, cap. 82: „ilicoque Cimber Tillius.... propius accessit"; ex Cal. cap. 51: „equum ilico conscendit" et Neronis, cap. 32: „detractam (matronam) ilico non veste modo sed et bonis exuit".

Restat ut in sententia nostra restituendum proponam verborum tempus imperfectum. Praecedente sententia imperfecto tempore utitur auctor, nec ulla exstabat causa cur hoc mutaret. Tota narratiuncula spectat ad Augusti tempus, non ad Suetonii; referenda ergo haec verba ad Augusti consilium. Quod ita Suetonius, secundum nonnullos interpretes, docere voluerit sua adhuc aetate id institutum servatum esse, nihil ad rem facit, nam minime de suo, sed de Augusti tempore refert. Nonnulli quoque codices imperfectum habent, necnon

Nic. Heinsius sic legendum opinatus est, quibus testibus nisus, ego quoque arbitror hoc modo sententiam nostram legendam esse: *Commodius id visum est, ut, qui ilico perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.*

> *Cap.* 53. *Officia cum multis mutuo exercuit, nec prius dies cuiusque sollemnes frequentare desiit, quam grandi iam natu et in turba quondam sponsaliorum die vexatus.*

Duas hic legimus temporis definitiones: *quondam* et *sponsaliorum die*, quarum una: *quondam*, sufficit. Nam si vera est lectio tradita, neque amplius circumscribitur vocabulum *turba*, non satis constat cuiusmodi turbae fiat mentio. Sponsaliorum die in turbam incidere potuit Augustus in foro, in Campo Martio, in via, in unoquoque denique totius urbis loco. Attamen si princeps vexatus esset in quadam turba, quae nulla ratione cum sponsaliorum aliquo festo cohaerebat, nullam haberet causam, cur non amplius dies sollemnes frequentaret.

Suetonius ergo vult turbam convivarum, turbam eorum, qui ad sponsalia celebranda convenerant. Notum est numerum eorum convivarum, inprimis apud ditiores, insigniores-que, semper permagnum fuisse et sic facile fieri potuit ut in eorum turba etiam princeps huc atque illuc pelleretur, trahereturque. Quae autem legimus apud auctorem nostrum de variis turbis accipi possunt, neque ulla exstat necessitas, cur in vocabulo *turba* videamus convivarum turbam. Locus

ergo citatus non satis lucidus est et mendum latere credo in vocabulo *die.*

Circumscriptionem, definitionem quaerimus substantivi *turba*, ut sciamus qua de turba narret auctor, quam definitionem invenimus in *sponsaliorum.* Quid nunc sibi vult ablativus *die*? Nihil, sed suspicor prave id traditum esse pro *diu*, quod vitium saepissime legitur in libris Mss. Augustus *diu* vexatus est. Quid sit *vexari* disertis verbis nobis explicat A. Gellius (Lib. II. cap. 6): „Nam qui fertur et raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is *vexari* proprie dicitur"; unde patet eum, qui revera vexatur non breviusculum alibuod tempus, sed paulo diutius per turbam impeditum fuisse.

Conferantur praeterea Claudiae improba verba in lepida, apud eundem Gellium, narratione, (Lib. X. cap. 6) ubi sic ultima verba legimus: „Sed utinam, inquit, reviviscat frater, aliamque classem in Siciliam ducat, atque istam multitudinem perditum eat, quae me male nunc miseram *convexavit*!"

Id autem de Augusto tradit Suetonius: Non hoc die primum in turba vexatus est; minime, verisimile est id ei iam saepius accidisse, sed grandis iam natu quondam *tam diu* vexatus est ut tandem eum huius rei pertaesum sit, qua de causa decrevit non amplius frequentare dies sollemnes. Auctorem ergo scripsisse puto: *in turba quondam sponsaliorum diu vexatus.*

Cap. 54. *Antistius Labeo Senatus lectione, cum vir virum legeret, M. Lepidum hostem olim eius et*

tunc exulantem legit, interrogatusque ab eo an essent alii digniores, s u u m q u e m q u e i u d i c i u m h a b e r e respondit.

Denuo venimus ad locum de quo fuse disputaverunt viri docti. Consentiunt omnes fere interpretes hic particulam *an* scriptam esse pro *annon*. Nostra quoque aetate, in recentissima Vitae Augusti editione, quam curavit vir doctissimus E. S. Shuckburgh (Cambridge, 1896.), legimus in prolegomenis, ubi pauca monet editor de Suetonii scribendi ratione: „for *annon* he has *an*". Sed nullus alius in Suetonio occurrit locus, ubi sic loquitur et firmiter nego ex unius loci exemplo efficere aliquid licere de scriptoris stylo. Monent et veteres et recentiores interpretes: „*An* saepe dici pro *annon*, ut ἆρα pro ἆρ' οὐ et encliticon *ne* pro *nonne* non ignotum est et patet e. g. e Ciceronis loco: De officiis, Lib. I. c. 15, 5, ubi legimus: „Quidnam .... facere debemus? An imitari agros fertiles?" Sed vix hic locus probare potest quod volunt docti, nam ipse est dubius et corruptus. Vulgata certe hic omittit *non*, sed plures iam codices aliam praebent lectionem, quorum auctoritate nisae, vetustiores quoque editiones, dico Ascensii, Facciolatii, Oliveti, Ernestii, inseruerunt *non*, quam lectionem nostro saeculo retinuit C. Beier (Lipsiae, 1820). Revera parum apte hic locus comparatus est cum Suetonii loco, varia enim variis locis narrantur, variaque quaeruntur.

Ea autem et multa alia, quae in annotationibus commentariisque tractaverunt viri docti silentio praeterire possumus, quod minus ad rem faciunt. Id unum quaerendum est: Si

verum est *an* dici posse pro *annon*, sequiturne ex ea re *an* prorsus idem valere atque *annon*? Mimime. Habent et semper habebunt varias significationes, quam ob causam credo non licuisse Suetonio scribere *an* pro *annon*.

Augustus interrogavit Labeonem et dixit, aut: *Suntne alii digniores?*, aut: *Nonne sunt alii digniores?*, quae permultum inter se differunt. Si Augustus dixit: „An sunt alii digniores"? ironice locutus est et eius verba idem significant atque id, quod sic per irrisionem dicendum est: „Scilicet non sunt alii digniores"; vel: „Is enim videlicet prae caeteris dignus fuit, quem legeres." Si tamen rogavit: „Nonne sunt alii digniores?", insolenti quadam superbia locutus est. Inest illis in verbis magna acerbitas, quae viva tantummodo voce exprimi potest. Haud dubie utraque interrogandi ratio ostendit principis iram, sed variis modis, sive ironice, sive superbe et amare. Eligendum igitur nobis est, utrum malimus, utrum credamus.

Pro certo habeo non scripsisse auctorem *an* pro *annon*; optime ei notum est discrimen inter duas has locutiones. Ego autem credo Augustum rogavisse: *Nonne sunt alii digniores?* Magis hic locum esse acerbitati, superbiaeque, quam ironiae persuasum habeo. Audit princeps nomen inimici ac statim evomit iram. Subito surgens clamat verba amara, non cogitat, non urbane sed indignabundus loquitur. Restituendam ergo censeo lectionem *an non*.

Qui autem putant Augustum ironice verba fecisse, ii lectionem *an* retinere debent, sed haud dubie textus traditus explicari defendique non potest tamquam exemplum styli Suetonio proprii.

Cap. 56. *Numquam filios suos populo commendavit ut non adiceret: Si merebuntur. Eisdem praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro et a stantibus plausum, gravissime questus est.*

Omnes assurgunt spectatores ut principis filiis plausum dent. Res est notissima, cuius iam mentionem fecit Cicero in Epistulis ad Atticum, Lib. II, cap. 19, ubi narrat: „Caesar quum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum est, ut, salva re publica, Pompeio plaudi solebat"; et De Amicitia, § 24, ubi legimus: „Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse?" Stantes ergo plausum dant. Sed bis hanc rem nobis narrat in una sententia Suetonius. *Assurrectum ab universis* et *a stantibus* plausum, quod nimirum luce clarius est. Qui semel assurrexerunt non iam sedent et postquam assurrexerunt *universi* nullo modo fieri potuit ut filiis Augusti plaudere possent sedentes.

Qua de causa suspicor leve vitium latere in vocabulis *a stantibus*, praesertim quod vocabula illa non integra leguntur in nonnullis codicibus et vetustissimis editionibus, ubi invenimus: *astantibus.* Praepositio illic adhaesit verbo, unde concludere audeo olim unum tantummodo vocabulum locum tenuisse nostri *a stantibus*, nec diu quaerendum est quale fuerit hoc vocabulum. Gravissime questus est Augustus de nimiis honoribus, quibus filii sui a populo afficerentur, atque idcirco verbum legendum puto cuius sensus maiores adhuc reddat eos honores.

Legendum ergo propono: *instantius plausum*, i. e.: non breve tempus, sed diutius plaudunt spectatores. Vocabulum *instantius* non alienum esse a Suetonio patet ex vita D. Claudii, cap. 5, ubi legimus: „Tiberius patruus petenti honores consularia ornamenta detulit; sed *instantius* legitimos flagitanti id solum codicillis rescripsit e. q. s." Ut ergo tollamus tautologiam non ferendam, levi mutatione sententiam nostram corrigendam puto, quae mutatio meliorem quoque praebet sensum.

Cap. 64. *Gaium et Lucium adoptavit, domi per assem et libram emptos a patre Agrippa e. q. s.*

Mittamus quaestionem utrum legendum sit *per assem* an *per aes et libram*; haec nihil ad propositum nostrum nec ad sententiae interpretationem, at potius de interpunctione pauca disseramus. Sicut nunc legimus, Augustus fertur domi emisse Gaium et Lucium a patre Agrippa. Cuiusne in domo haec emptio facta est? Non satis constat. Domus haud dubie hoc loco potest esse tam Augusti, quam Agrippae. Sed vix credi potest principem Agrippae domum iisse ut ibi emeret filios, cum ei liceret in domo sua totam mancipationem ad finem perducere.

Gaius et Lucius adhuc sunt in patris potestate, qua de causa Agrippa, sine populi consensu, filios Augusto emancipare potuit. Nullius ergo momenti est, quo loco emptio illa facta sit, sed ubi Gaium et Lucium adoptaverit Augustus.

Duae enim sunt adoptandi rationes: *adrogatio* et *mancipatio*. Qui autem, morte parentum suorum, iam patres familias effecti sunt, ii nonnisi *in foro*, coram pontificibus, lege

Curiata, in alterius potestatem transire poterant; haec est *adrogatio.* Cuius rationis mentionem facit Suetonius eiusdem vitae cap. 65, hisce verbis: „.... Agrippam simulque Tiberium adoptavit in foro lege Curiata." Quae vero hoc loco disertis verbis narrat auctor, cur, quaeso, ea non commemoraret capite praecedente?

Id enim est, quod in sententia nostra quaerimus, nempe *quo modo* adoptaverit. Atque id ipsum narrare voluit Suetonius: Augustum adoptavisse G. et L. non *adrogatione* sed *mancipatione*, quam ob causam eum scripsisse puto, non: *Gaium et L. adoptavit*, *domi per assem e. q. s.*, sed: *Gaium et L. adoptavit domi*, *per assem et libram emptos a patre Agrippa.*

Interpunctione mutata iam id legimus, quod quaerimus, nunc enim scimus ubi facta sit *mancipatio* illa, atque etiam cum utrius nomine coniungenda sit domus illa. Ea nimirum est Augusti. Probe scio vulgo *mancipationem* fieri solere apud praetorem, *apud eum*, *apud quem legis actio est*, sed idem constat de emptione, unde efficere possumus licuisse Augusto domi adoptationem perficere, quia ipse iurisdictionem habebat.

> *Cap.* 67. *Diomeden dispensatorem*, *a quo simul ambulante incurrenti repente fero apro per metum obiectus est*, *maluit timiditatis arguere quam noxae e. q. s.*

Veteri iam interpreti, Torrentio, suspectum fuit adiectivum *ferum.* Defenditur tamen a Burmanno, qui affert nonnulla

argumenta, quae probare non possum. Non enim putat alterutrum abesse posse vocabulum, quia periculum ingens et duplex fuit, et ex *repentino* incursu et ex apro *fero*.

Sed nimirum omnes apri feri sunt, nec periculum illo adiectivo augetur. Deinde citat nonnullos Ovidii versus, de quibus hoc tantummodo contendere volo: Numquam, ut firmiter credo, licet ex sermone poetico haurire argumentum neque ad defendendam, neque ad arguendam locutionem insolitam apud Suetonium, cuius sermo prorsus differt ab usu poetico. Sine dubio magis ad rem facit quod duobus aliis locis ipse auctor scripsit *aprum* sine adiectivo.

Legimus enim in vita Tiberii cap. 34: „dimidiatumque aprum apposuit"; et ibidem cap. 72: „missum in arenam aprum iaculis desuper petiit". Posteriore praesertim loco, si voluisset, si talis Suetonii usus fuisset, adiectivo *ferum* ei utendum erat.

Credo ergo etiam nostro loco abundare *fero*, quod facile, a secunda manu suprascriptum, in textum irrepere potuit, atque ideo delendum esse censeo.

Eodem capite, in fine, legimus:

> *Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura ei fregit e. q. s.*

Sic e codice Memmiano ediderunt plerique editores, pleonasmo non ferendo. Alii codices habent *effregit*, quod tamen non est verbum sollemne in hoc supplicio. Cicero, Pro Roscio Amer. cap. 20 narrat: „Quodsi luce canes latrent, iis crura suffringantur", sed Suetonius semper hac in re

utitur verbo *frangendi*, ut e. g. in vita Tiberii cap. 44: „.... atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrarant, crura fregisse".

Deinde de pronominis usu disputantes varios afferunt locos interpretes, qui tamen nihil fere cum loco nostro commune habent. In iis autem, qui idonei videntur, pronomen *is* respondet praecedenti pronomini relativo. Citant porro vitae Augusti caput 94: „Ad quartum lapidem Campanae viae in nemore prandenti ex improviso aquila panem ei e manu rapuit e. q. s.", ubi *ei* haud dubie non minus supervacuum est et nimirum e sequenti praepositione *e* ortum, ac tandem Domit. cap. 3, ubi est: „Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat.... alteroque anno consalutavit Augustam; eandem, Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit", ubi revera pronomen *eandem* suam habet significationem. Est enim *tamen eam.*

Quibus omnibus missis, contendere possumus, nostro loco prorsus supervacuum esse pronomen *ei*, nec defendi posse vel usu quotidiani sermonis, vel longiore inter *Thallo* et *crura* spatio. Rectissime ergo pronomen delendum esse putaverunt nonnulli viri docti, quibus lubenter assentior.

> *Cap.* 70. *Caena quoque eius secretior in fabulis fuit.... in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum, non Antoni modo epistolae singulorum nomina amarissime enumerantis exprobrant, sed et versus e. q. s.*

Quid hic significat *amarissime enumerare?* Haud dubie

hoc adverbium conveniret ad *exprobant*, non ad *enumerare*. Nec melius respondet vocabulo praecedenti *singulorum*, unde patet Antonium novisse *omnium* convivarum nomina. Non mentionem fecit nonnullorum e convivarum numero sed universorum. Optime ergo haud dubie totam illam quaestionem indagavit Antonius, antequam virorum matronarumque illustrium nomina literis mandare ausus est, ne forte tam gravi in re insontium nomina recitaret.

Qua de causa pro certo habeo Suetonium scripsisse: *accuratissime*. Hoc enim adverbium optime convenit ad *enumerare*, i. e.: recitat Antonius nomina gentilia, praenomina, cognomina, ne quis dubitare possit utrum patrem an filium, matrem an filiam nominare voluerit. Tunc denique *exprobrare* potest Antonius, cum *accuratissime* noverit et enumeret omnium in caena nefaria convivarum nomina. Quod ad rem palaeographicam attinet, non multum inter se differunt *amarissime* et *accuratissime*, quo fieri potest, ut scriba aliquis, ante oculos iam habens verbum *exprobrare* potius scripserit id adverbium, quod apte cum eo verbo coniungi potest. Attamen non est dubitandum, quin *amarissime* prave sit traditum.

Cap. 72. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme et aestate mansit, quamvis parum salubrem valitudini suae urbem hieme experiretur, assidueque in urbe hiemaret.

Lepidissime atque acutissime hoc de loco disseruit Polakius, in libello iam supra citato. Mendose locum traditum

esse, nemo est, qui non sentiat et variis modis tentaverunt interpretes explicare sententiam insanam. Sed, ut recte monuit Polakius: „Quae veteres critici ad locum sanandum attulerunt, fere ἄρρητα ἀμείνω." Nec tamen tanta doctrina ad explicandum, nec gravi mutatione ad locum emendandum opus esse lucide demonstravit vir clarissimus. Haec enim scribit:

„Duo proponuntur continentiae Augusti exempla, quod nec cubiculum pro anni tempore mutaverit, nec urbem, quamvis hieme sibi molestam, hieme effugerit. Sic ergo legendum est: *Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme et aestate mansit et quamvis parum salubrem valitudini suae urbem hieme experiretur, assidue in urbe hiemavit.* Corruptelarum ratio in promptu est. Exciderat copula post *mansit*; ut asyndeton evitaretur, male adiectum *que* post *assidue*, et — loci sententia sic semel perverse intellecta — ultima syllaba verbi *hiemavit* simul corrupta est."

Sine dubio meliorem sic praebet sensum locus noster, attamen etiam nunc aliquid restat, quod me offendat. Quae statim sequuntur: *aeger autem in domo Maecenatis cubabat* coniungi non possunt cum eo, quod modo narravit Suetonius. Quid? Ne aeger quidem urbem relinquere vult *quamvis parum salubrem valitudini suae hieme experiretur?* Cur, quaeso, domum, cubiculumque aegrotans mutaret, cum morbi causa esset urbs Romae, ex qua egredi non vult? Si verum est parum salubrem valitudini eius hieme fuisse urbem, nimirum, aeger cum esset, non solum reliquit domum, sed etiam urbem. E verbis citatis efficere possumus non *urbem* ei perniciosam esse, sed cubiculum in quo cubabat. Qua de causa adhuc credo textum traditum post Polakium in inte-

grum restituendum esse et alia mutatione locum persanandum.

Non enim narravit auctor *urbem* hieme parum salubrem fuisse, sed *auram,* id est: auram cubiculi, ubi hieme et aestate mansit. Nunc denique sanam habemus sententiam. Nunc unum tantummodo continentiae Augusti exemplum affert auctor, sed gravissimum, quod duobus argumentis demonstrat. Tam continens erat princeps ut semper maneret in eodem cubiculo, cuius auram hieme parum sibi salubrem interdum experiebatur, sed quoties per ipsam illam auram in morbum incidebat, non idcirco ex urbe proficiscebatur, sed tantummodo domum suam relinquebat et in Maecenatis domo melius salubriusque cubiculum quaerebat. Quamquam aeger, tamen semper in urbe hiemabat.

Igitur hoc modo sententiam nostram legendam censeo: *Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme et aestate mansit, quamvis parum salubrem valitudini suae auram hieme experiretur, assidueque in urbe hiemaret.*

> *Cap.* 75. *Saturnalibus, et si quando alias libuisset, modo munera dividebat, vestem et aurum et argentum, modo nummos omnis notae, etiam veteres regios ac peregrinos, interdum nihil praeter cilicia et spongias.... atque alia id genus, titulis ambiguis et obscuris.*

Sic omnes codices, praeter unum, Viterbiensem.

Codex Viterb. praebet scripturam: *veteres ac peregrinos,* atque, ut saepius fieri solet, unus tantummode e magno co-

dicum numero, veram servavit lectionem. *Regios* emblema olet et sine dubio delendum est.

Regios enim appellare solebant Romani omnes remotiorum temporum nummos, sive Servio Tullio, Tarquiniove regnantibus signatos, sive sub consulibus factos. Quod non ignotum fuit glossatori cuidam, qui idcirco definitionem supervacuam vocabulo *veteres* suprascripsit. Hoc quoque rogare velim: Unde Augustus, quoties munera dividere volebat, tam multos antiquissimos et procul dubio rarissimos nummos capere poterat? Vix credi potest aetate imperatoria adhuc exstitisse tam ingentem vere regiorum nummorum multitudinem. Quodsi nonnulli conservati essent, tantummodo vetustate ii, non pretio aestimandi erant, atque eiusmodi nummi loco mercis interdum venibant, ut nostra quoque aetate numismata vetusta. (Qua de re conferatur Ulpianus, Lib. IX. Ad legem Corneliam de falsis, et titulus De veteris numismatis potestate. Cod. Justin. Lib. II.)

De vetustissimis nummis rectissime monet in annotatione sua ad locum nostrum V. Ds. Shuckburghius: „If any such existed in the time of Augustus, they would be reckoned as belonging to the royal period"; unde apparet me illum quoque interpretem in quaestione de vocabuli *regius* usu quotidiano adsentientem habere. Ob duas ergo illas causas, verbi dico usum et nummorum raritatem, pro certo habeo vocabulum *regios* emblema esse. Deleatur ergo.

Cap. 76. *Secundarium panem et pisciculos minutos et caseum bubulum manu pressum et ficos virides biferas maxime appetebat; vescebaturque et ante*

caenam quocumque tempore et loco, quo stomachus desiderasset.

Vocabula *quo stomachus* dant omnes libri Mss., omnesque fere editiones, praeter Ald. Stephani et Graevii primam, quae omiserunt *quo*, quod etiam eiici voluerunt Lipsius et Torrentius. Quantum video, recte, nam nec Oudendorpii coniectura *quoquo loco*, nec alia lectio *quod*, quae in nonnullis vetustioribus legitur editionibus, meliorem, purioremque reddit sententiam. Recte docet Baumgarten-Crusius Suetonium vocabulo *quicumque* uti solere etiam non connexo cum sequentibus pro *omnis*, sed nostro loco idem non valet ac *omnis*. Hic sequenti relativo non opus est, quia iam ipsum pronomen *quicumque* relative scriptum est. Solum vocabulum *quocumque* eandem vim habet ac: *omni loco et tempore, quo.* Non ergo significat *quovis*, sed eodem modo interpretandum est ac pronomen Graecum ὅστις, quod etiam absolute scribi solet.

Nusquam alibi in Suetonii operibus talis apparet locutio, quamquam passim occurrit vocabulum *quicumque.* De solito vocabuli usu apud Suetonium conferantur nonnulli loci, e. g.: Caesar, cap. 66; Claudius, cap. 2, 34, 36; Augustus, cap. 66 et 78; Tiberius, cap. 18 et 65; Caligula, cap. 32; Vespasianus, cap. 8 aliique. Eodem modo ac nostro loco etiam Caesar et Livius usi sunt vocabulo *quicumque*, e. c.: Caesar, Bellum Civ. Lib. II. cap. 40:

„Quamcumque in partem equites impetum fecerant, hostes loco cedere cogebantur"; et apud Livium, Lib. III. cap. 11: „Quemcumque lictor iussu consulis prehendisset, tribunus

mitti iubebat." (Notum est Ciceronem, Caesarem, Sallustium in eiusmodi sententiis indicativo uti solere, posteriores vero scriptores coniunctivo.) Credo ergo et hic Lipsii Torrentiique scripturam restituendam esse, et pronomen *quo* delendum.

Cap. 91. *Cum dedicatam in Capitolio aedem Tonanti Iovi assidue frequentaret, somniavit, queri Capitolinum Iovem cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum; ideoque mox tintinnabulis fastigium aedis redimiit, quod ea fere ianuis dependebant.*

De ultimis huius sententiae verbis videamus. Imperfectum *dependebant* offendit Oudendorpium, qua de causa suasit *dependeant.* Contra eum docuit Wolfius imperfectum bene se habere, ut Augusti actionem respiciens, neque tamen Suetonii aetate hunc morem omissum significans. Sed nihil id ad rem; quidquid legimus, verba haec ultima: *quod ea fere ianuis dependebant* corrumpunt contextum.

Quid enim continere debent? Causam nimirum, cur istud, quod narratur, Augustus fecerit. Sed quid?

Quia tintinnabula vulgo ianua dependent, eam ob causam iis Augustus *non* ianuam, sed fastigium redimit? Quae capiat, qui capit. Nonne ergo templum Iovis Tonantis portam vel ianuam habebat? Quodsi eam habebat, quidni ianuae, sed potius fastigio affixit Augustus tintinnabula?

Sed non opus est haec perscrutari. Augusti factum huc redit: Somnio perterritus Iovem Capitolinum sibi vult obstringere, ideoque mox actione symbolica Iovem Tonantem

revera ianitorem reddit. Totam principis actionem symbolicam esse, nemo est, qui non intelligat, qua de causa minime opus est Augustum unum tantummodo tintinnabulum aedis ianuae affigere, sicut fortasse fieri solebat in Romanorum insulis et in procerum domibus. Fortasse dico, nam de tintinnabulorum usu quotidiano inter se non consentiunt viri docti. Dio Cassius enim, ut unum ex antiquitate afferam exemplum, in somnii Augusti narratione, refert: „*οἱ γὰρ τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάσσοντες κωδωνοφορῶσιν, ὅπως σημαίνειν.... δύνωνται.*" Secundum eum igitur tintinnabulum non ianuae affixum est, sed a ianitore portatur, ut eo signum dare possit.

Deinde satis constat vocabulum *fastigium* prorsus aliud quid significare quam *ianua*, nec unquam id significare posse. Quibus argumentis nisus contendere audeo numquam ultima haec verba a Suetonio scripta esse. Non sunt Suetonii sed glossatoris. Auctor noster tantummodo narravit: „Tintinnabulis aedis fastigium redimiit Augustus, ut Iupiter Tonans Capitolino pro ianitore appositus videretur", ac nihil aliud. Lector Romanus statim intellexit quid vellent et Augustus et Suetonius, nam tintinnabulorum usus, quisquis fuit, sine dubio omnibus Romanis notus erat. Glossator quidam tamen, ut Augusti factum interpretaretur, verba citata suprascripsit, ut declararet sic apud Romanos fieri solitum esse; qua de causa censeo ea delenda esse.

Cap. 94. *In Asclepiadis Mendetis Theologumenon libris lego, Atiam, cum ad sollemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo*

lectica, dum ceterae matronae dormirent, obdormisse e. q. s.

Ad hunc locum recte annotavit Crusius: „Ceterum vitiosam esse lectionem: *dum ceterae matronae dormirent*, nemo non vidit." Varios ergo tentaverunt modos emendandi interpretes. Torrentius totum enuntiatum resecandum censet, Graevius suasit: *dum ceterae matronae domum irent*, quae emendatio placuit Oudendorpio et Fabricio; Ernestius contra legit: *dum ceterae matronae venirent* vel *convenirent*, quae laudantur a Wolfio. Burmannus vero haec verba abesse mavult: „infarta ab aliquo, qui verebatur, ne matronae conspecto vigilantibus dracone diffugerent."

Sine dubio vulgatum defendi non potest. Modus coniunctivus me non offendit, quia non pendet a *dum*, sed ab oratione obliqua; recta esset: *Atia, dum ceterae matronae dormiunt, obdormiit.* Sed sic Latine dici non potest, dicendum erat: *et ipsam obdormisse.* E lectione ergo vulgata efficere possumus Atiam solam fuisse in templo. Si enim matronarum multitudo in templo fuisset, haud dubie Suetonius scripsisset *positis lecticis*, nam vix credibile est multas matronas ad sacrum sollemne convenisse et in iis Atiam solam lectica latam esse. Nihil tamen de matronis illis constat, neque quidquam amplius de iis narrat scriptor.

Cur ergo media nocte in templum venit Atia? Sic hanc rem mihi fingo: Venit Atia cum magna matronarum turba sacrorum publicorum causa, quod interdum fieri solebat, quodque etiam apparet e capite 86. De illis autem sacris tacet Suetonius, non haec sacra vult, cum dicat: *ad sacrum*

sollemne. Sed duplex propositum Atiam ad Apollinis aedem duxit. Venit quoque ad pervigilium, ut saepe faciunt ii, qui, privata religione, vel morbo vel alicui malo remedium quaerunt, et eam ob causam ea sola lectica lata est. Postquam ergo ceterae matronae, sacris publicis rite perfectis, domum reverterunt, Atia sola remanet in templo, ibique obdormiscit. Qui enim somnia captabant soli in templum ire solent. Atiam solam esse in templo pro certo habeo. Sed ubi nunc sunt ceterae matronae, quae dormiunt? Nimirum *domi.* Narrat Suetonius matronas dormire, sed non narrat ubi. E verbis eius apparet, ut supra monstravi, in templo id fieri non posse, ergo dormiunt *domi.* Quod vocabulum ob magnam litterarum similitudinem perfacile praetermitti potuit. Levissima igitur mutatione legendum proponere velim: *dum ceterae matronae domi dormirent.*

> *Cap.* 95. *Post necem Caesaris reverso ab Apollonia et ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit, ac subinde Iuliae Caesaris filiae monimentum fulmine ictum est.*

Quid sibi volunt verba: *liquido ac puro sereno?* Non quaero quid significent, nam perlucida haec sunt, sed an recte Latine sic dici possit? Quod non credo. *Serenum* substantive scriptum est, et substantivum *serenum* prorsus idem valet ac *coelum purum*, *clarum*, *lucidum*, et persaepe quoque tempestas arida et sicca. Sed numquam licet vocabulo *serenum* uti pro *coelum*, sine ulla definitione. Nostra autem in

sententia legimus, tautologia haud ferenda: *liquido ac puro coelo liquido ac puro*, quod ne Suetonii quidem orationi concedi potest.

De vocabulo *serenus* et *serenum* conferantur nonnulli, quos contuli, loci: Lucretius, Lib. I, vs. 143: „induit nocteis vigilare serenas"; Ibidem, Lib. VI, vs. 246: „nam coelo nulla sereno, Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam"; Virgilius, Georg. Lib. I, vs. 100: „Humida solstitia atque hiemes orate serenas"; Ibid. Lib. I, vs. 393: „Nec minus ex imbri soles, et aperta serena, Prospicere"; Ib. Lib. I, vs. 461: „unde serenas, ventus agat nubes"; Aenaeis, Lib. VI, vs. 707: „apes aestate serena floribus insidunt"; Silius Italicus, Lib. V, vs. 58: „sensimque fluebat, Caligo in terras nitido resoluta sereno"; Ibid. Lib. XII, vs. 4: „Ver Zephyris tepido mulcebat rura sereno"; Lucanus, Lib. I, vs. 530: „Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno"; Martialis, Lib. IV, Ep. 64: „Et planus modico tumore vertex, coelo perfruitur sereniore"; Aulus Gellius, Lib. II, cap. 21: „adferebant Priverni sereno per diem totum rubrum solem fuisse"; Plautus, Mercat. Act. IV, 1, vs. 306: „Hic Favonius serenus est, istic Auster imbricus".

Ex omnibus iis locis luculenter apparet quo modo vocabulo *serenus*, vel substantivo *serenum* utendum sit, nec ullus, praeter nostrum, exstat locus tota Latinitate, ubi *serenum* nude scriptum sit pro *coelum*. Qua de causa persuasum habeo lectionem traditam mendosam esse. Vocabulum *sereno* nimirum e glossemate in textum irrepsit. Suetonius scripsit: *liquido ac puro coelo*, ad quae verba glossator quidam annotavit: *sereno*, ut indicaret unum illud vocabulum prorsus

idem valere quod quatuor illa verba in textu; et suprascripta haec annotatio in textum migravit.

Locus igitur noster in integrum restituendus est et sic legendus: ....*repente liquido ac puro coelo, circulus*.... *orbem solis ambiit.*

THESES.

THESES.

I.

Suetonius, Tiber. cap. 70:

Verba: *et ab hoc plerique .... ediderunt,* ab interpolatore profecta sunt.

II.

Cicero, In Catilinam, I. 2. 4:

Habemus enim huiuscemodi senatus consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina, convenit.

Post *reconditum* excidisse credo *telum.*

III.

Cicero, Ad Famil. V. 12:

.... *Redituque retinetur.*

Legendum est: *reditus spe retinetur.*

IV.

Cicero, De Oratore, I. 1, 3:

.... *qui per nos a communi peste depulsi in nosmet ipsos redundarent.*

Scribendum puto: *qui, per nos communi peste depulsa e. q. s.*

V.

Livius, XXI. 5, 9:

Verba: *castrisque super ripam positis* suum locum non tenent, ponenda sunt post *traiecit.*

VI.

Velleius Paterculus, I. 2, 2:

.... *immixtusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam ciens interemptus est.*

Legendum censeo: *immixtusque castris hostium, de industria rixam ciens, interemptus est.*

VII.

Curtius, III. 1, 13:

.... *quae. quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet.*

Iniuria I. Keelhoff (Revue de Philologie, XXI, 1, pag. 37) *quia* inter verba *sed* et *magna* transponit.

VIII.

Horatiani Carminis III, 26 consilium et argumentum vs. 1. vocabulum *puellis* poscit, lectionem *duellis* respuit.

IX.

Ovidius, Metamorph. XI, vs. 493:

nec se, qui sit status, ipse fatetur,
Scire ratis rector, nec quid iubeatve, vetetve.

Corrigendum arbitror pro *ratis: satis.*

X.

Homerus, Odyssea, *α*. vs. 255:

Verba *εἰ γάρ* vertenda sunt *nam si.*

XI.

Homerus, Odyssea, *ε*. vs. 33 et *η*. vs. 264:

Pro *πολύδεσμος* restituenda est Codicis G. lectio: *πολύγομφος.*

XII.

Homerus, Ilias, *θ*. vs. 538:

Cum Nauckio legendum est *ἐς οὐρανόν.*

XIII.

Thucydides, III. 39, 2:

Verba *ἀπόστασις* — *ἐστίν* delenda sunt.

XIV.

Aristophanes, Pax, vs. 1132 et 1164:

Verba: *μετ' ἀνδρῶν ἑταίρων φίλων*

et: *τὸ γὰρ φῖτυ πρῷον φύσει*

delenda sunt.

XV.

Plato, Politeia, I, pag. 331 in initio:
Deleatur vocabulum σφόδρα.

XVI.

Plato, Politeia, II, pag. 380:
κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα, κτέ.
Legendum censeo: ἀγαθῷ ὄντι.

XVII.

Plato, Apologia, V, in fine:
ἐπειδὴ ἐκεῖνος τετελεύτηκεν.
Pro glossemate illa verba habenda sunt.

XVIII.

Lucianus, Timon, 9:
Verba ἐπὶ τῶν βωμῶν expungenda sunt.

XIX.

Xenophon, Cyropaedia, V, 2, 17:
Pro ἁρπαγῇ legendum puto ἀκοῇ.

XX.

Sophocles, Philoctetes, vs. 758:
Legendum propono:

πλάνοις δ' ἴσως
ὧδ' ἐξεπλήσθη.

PA
6702
K6

Koopmans van Boekeren, Ianus Rudolphus
Spicilegium criticum in G. Suetonii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY